

Cum per hos annos, quicquid mibi otii a publico docendi munere restabat, ad historiam linguae Latinae antiquissimae accuratius perscrutandam contulisse, haud raro in eam necessitatem me deductum videbam, ut si quid de natura atque indole vocalium et consonantium aut de pronuntiatione et accentu verborum indagare vellem, earum linguarum vestigia sequerer, quas una stirpe cum sermone Latino in Italiae solo ortas artissimoque cum eo cognationis vinculo coniunctas haud parvum mihi adiumentum subsidiumque fore in his studiis persequendis sperabam. Haec igitur necessitas vel invitum me redire coegit ad studia de dialectis Italicis recolenda, quae me aliquam diu intermisso fateor, quod uberiorem laboris fructum carpere volebam, quam quem mihi ex eis redire interdom expertus essem. Itaque oblata hac scribendi opportunitate uti liceat, ut ad cognoscendas dialectos Italicas pro virili parte, quantum spatii detur, aliquid proficere coner. Quo in genere ne in campum nimis amplum excurrat oratio, de Volscorum lingua scribendum mihi proposui, cuius rara tantum modo monumenta quaedam usque ad nostram aetatem servata manserunt.

Pendet autem fere tota haec de Volscorum dialecto quaestio a luculentissimo huius linguae monumento interpretando, tabula videlicet Velitris ante hos quattuor et septuaginta annos reperta, quam ad aeris similitudinem expresserant R. Lepsius, (*Inscr. Umbric. et Osc. tab. XXVI*, 24) et Th. Mommsenius (*Unterital. Dial. tab. XIV*) litteris illam quidem antiquioris formae Latinis conscriptam. Quas imitandi cum facultas non detur, vulgaribus Romanorum litteris titulum perscribam hunc in modum:

DEVE : DECLVNE : STATOM : SEPIS : ATAHVS : PIS : VELESTROM |
FASIA : ESARISTROM : SE : BIM : ASIF : VESCLIS : VINV : ARPATITV |
SEPIS : TOTICV : COVEHRIV : SEPV : FEROM : PIHOM : ESTV | EC :
SE : COSVTIES : MA : CA : TAFANIES : MEDIX : SISTIATIENS.

Huius igitur tituli una est littera, de cuius vi ac significatione dubitare possis, tertia secundi versus, quippe quae in R. Lepsi tabula forma litterae S simili exhibeat, apud Mommsenium speciem litterae C sinistrorum versae prae se ferat. Sed cum de singulari quadam vi litterae C retro versae nihil habeam quod in medium proferam, Th. Mommsenio mihi assentiendum video, qui eam (*a. O. p. 320*) S superiore parte mutilatam interpretatur. Praeterea litteram G abesse a nostra tabula recte quidem monet Mommsenius, at ne antiquiorem eam esse quam Spurium Car-

vilium grammaticum aut Scipionum vetustissima monumenta pro certo affirmem, eo prohibeor, quod nullam in ea vocem repperi C littera scriptam, quae in sermonem Latinum translata per G scriberetur. Neque e titulo Volsci magistratus medi x in eadem exhibito accuratius definitur tempus inscriptionis, quoniam parum liquet, num ante belli Marsici aetatem Veliterni in civitatem Romanam recepti ideoque Latinis magistratum titulis usi sint (*Momms. Unt. Dial.* p. 322).

Iam vero pro consilio huius scriptioonis primum verba tabulae commentariolo subiecto illustrare eorumque conexum sensumque enucleare conabor, deinde, quicquid interpretando profecero, ad alterum illud conferam, quod caput esse huius libelli volui, ut inquisita vocalium consonantiumque Volscarum propria indole ac natura et pronuntiationis immutationibus vicibusque quas subierint accurate investigatis demonstrem, quo cognationis vel adfinitatis vinculo Volscorum lingua cum ceteris, quarum reliquiae servatae sint, dialectis Italicis coniuncta fuerit, maxime in id intentus, ut hoc investigandi labore ab aliqua parte lucem adferam quantulamcumque ad historiam linguae Latinae antiquissimae accuratius perspiciendam. In hac vero scribendi ratione quod omnino abstinui a refellendis denuo erroribus, quos nuper Huschkius libro de monumentis Oscae et Sabellae linguae conscripto in medium protulit, apud eos facile me veniam impetraturum esse spero, qui periti harum rerum cognitores librum illius viri docti perlustraverint, praesertim cum iam alio loco (*Zeitschr. f. vergl. Sprachf.* VI, 62 f.) exposuerim, quid de eo iudicandum videatur.

Ansas vero ad comprehendendum sensum verborum in tabula Veliterna scriptorum aptissimas nobis praebuit Mommsenius, utpote qui non solum verba ipsa non pauca recte interpretatus sit, sed etiam structuram eorum acute perspexerit. Omissis igitur eis, quae aut ipse vir clarissimus se conjectura tantum modo assicutum esse fatetur, aut mihi alia ratione explicanda esse videntur, certiora vestigia ad cognoscendum tituli sensum hucusque reperta Latinis verbis aut litteris ad verba Volscis appositis sic exprimere liceat:

Deve Declune statom. Sepis atahus, pis Velestrom fasia esaristrom,
 Div- Declun- statum. Siquis -erit, quis Veliternorum faciat -um,
 se bim, asif vesclis, vinu arpatitu, sepis totica covehrin
 si bovem, — vasculis, vino — siquis publico -o
 sepu, ferom pihom estu. Ec. Se. Cosuties, Ma. Ca. Tafanies
 sciente, — piun esto. Ec. Se. f. Cosutius, Ma. Ca. f. Tafanius
 medix sistatiens.
 meddices statuerunt.

Iam singula deinceps tituli nostri verba recensenda atque in disceptationem vocanda sunt.

DEVE DECLVNE STATOM. In his verbis explanandis a Mommsenii sententia mihi discedendum video, quippe qui primam vocem deve dativum feminini generis interpretates Latino divae verterit ideoque etiam Declune pro dativo stirpis femininae Decluna- habeat, quae deam quandam Volscorum significet. Primum enim apud Umbros a stirpibus nominum in o exeuntibus dativi in e vocalem desinentes formantur, cum vocalis i ad stirpes adfixa, quae nota est huic casus, coaluerit cum praecedenti vocali o in e longum. Cuius modi dativos in monumentis Umbricis

hos invenimus: **Fise**, **Tefre**, **Çerfe**, **Saçe**, **Puprike**, **pople**, **Tursce**, **Naharce**, **Iabusce**, **Iuvie**, **Hurie**, **Fisie**, **Sansie**, **Grabovie**, **Martie**, qui prodierunt a stirpibus **Fiso-**, **Tefro-**, **Çerfo-**, **Saço-**, **Pupriko-**, **poplo-**, **Turso-**, **Naharco-**, **Iabusco-**, **Iuvio-**, **Hurio-**, **Fisio-**, **Sansio-**, **Grabovio-**, **Martio-**, (*Aufr. u. Kirchh. Umbr. Sprachd. I. p. 117. II. p. 135.*). Sic etiam apud Volscos, quorum linguam proxime accedere ad similitudinem Umbrae certissima reperiuntur vestigia, verba de eis Declune possunt certe dativi stirpium devo-Decluno- esse, ita ut deum hoc loco Volscorum habeamus, non deam. Quod revera ita esse, bac ni fallor argumentatione demonstrari poterit. E tabula videlicet nostra conspicitur bovem huic Volscorum numini oblatum esse, id quod infra apparebit ex interpretatione Volsci nominis bim Latino bovem respondentis. Apud Umbros hoc verbum masculino genere fuisse sicut in lingua Latina, ex adiectivis seu pronominibus intellegitur, quae ad casus eius apposita legimus in tabulis Iguvinis, ut:

esu bue, i. e. **hoc bove**, *AK. Umbr. Spr. II. p. 143.*

tre buf kaleruf, i. e. **tres boves callidos** (i. e. alba fronte praeditos) *l. c. 210.*

Itaque consentaneum est etiam Volscam vocem bim masculini generis esse, praesertim cum e nomine **Vitruii Vaccii Fundani** (*Liv. VIII, 19*) colligere liceat, etiam in Volscorum lingua vocabulum **vaccam** idem animal femininum significasse atque apud Romanos. Ut vero in sacris Romanorum boves mares deis tantum modo sacrificari solebant, non deabus, sic in Umbrorum caerimonias tribus tantum deis boves mactatos invenimus, **Iovio Grabovio**, **Marti Grabovio**, **Vofiono Grabovio**, id quod ex hisce formulis cognoscere licet:

Iuve Krabufi tre buf fito,

Tab. Ig. Ia, 3. AK. Umbr.

Iovio Grabovio tres boves facito.

Sprd. II, p. 128. f. 185. f.

tre buf fetu, **Marte Krapufi fetu**,

Tab. Ig. Ia, 11. AK. Umbr.

tres boves facito, **Marti Grabovio facito**.

Sprd. II. p. 185. f.

tre buf kaleruf fetu **Vofione Krapuvi**,

Tab. Ig. Ia, 20. AK. Umbr.

tres boves callidos facito **Vofiono Grabovio**.

Sprd. II, p. 210.

Quodsi hinc colligere licet etiam apud Volscos Umbrorum consanguineos deis tantum, non deabus, boves mares in sacrificiis mactatos esse, inde sequitur dativos de eis Declune a stirpibus devo-Decluno- deducendos esse et deum significare sicut Umbricos **Fise**, **Tefre**, **Çerfe**, **Saçe**, **Grabovie**, **Martie**, alias. De finalis autem horum nominum litterae e natura et origine infra suo loco conlata simili formarum copia disceptabitur. De origine nominis declune, quamquam vereor, ne latius hic campus pateat excurrendi et conjecturis indulgendi, tamen non plane omittendam quaestionem duxi, non quo rem ad liquidum perducam atque absolvam, sed ut eis, qui de religionibus Romanorum scribendum sibi proposuerint, diversas interpretandi vias monstrasse satis habeam. Potest enim vox simplex esse nomen dec-l-u-n-e, adfixis duabus vocis particulis, -ulo et -uno ad stirpem dec-. Quarum hanc alteram -uno-, -una animadvertere licet in compluribus deorum nominibus, velut in Volsco **Vesune** (*tab. Antin. Momms. Unt. Dial. p. 321*) in Umbricis **Vesune**, **Puemune** (*AK. Umbr. Sprd. II. p. 416*) **Vofiune**, **Vofione** (*l. c.*

1*

p. 423), in Sabino Vacuna (*Schol. Hor. Ep. I*, 10, 49), in Latinis Alemonia, Bubona, Epona, Fluviona, Intercidona, Mellonia, Populonia, Pomona, Vallonia (vgl. Ambrosch, *Religionsbücher der Roemer*, p. 12. f.). Potest vero nomen de-clu-ne etiam compositum esse praepositione de stirpi praefixa. Sic enim permulta deorum Romanorum nomina cum praepositionibus composita habemus, numinum plerumque de plebe, ut ita dicam, quae in inditamentis pontificum perscripta erant, ut A-verrunci, Ab-eona, Ad-eona, Ad-olenda, Af-ferunda, A-scensus, Co-inquenda, Com-molenda, Con-sivius, De-verra, De-ferunda, E-geria, In-cubus, In-uus, Ind-igetes, Inter-cidona, Per-fica, Per-tunda, Prae-stites, Pro-nuba, Pro-sa (Pro-vorsa), Pro-serpina, Post-vera, Sub-igus (Ambrosch. l. c.); sic apud Oscos Anter-stata (*tit. Agn.* a, 5. b, 6. *Momms. Unt. Dial. Tab. VII*), apud Umbros Pre-stata, Pre-stota quaedam dea invocabatur (*AK. Umbr. Sprd. II*, p. 418). Quodsi nomen De-clu-ne eius modi compositum est, stirpem verbi clu-endī in eo inesse crediderim, quod purgare significat, cum ab eadem stirpe etiam nomina Veneris Clu-acinae, fossae Clu-iliae, Clo-elii cuiusdam Volsci (*Liv. III. 25. 28*) derivanda videantur. Ab hac igitur stirpe si prodiit nomen De-clu-ne, deum quandam significat Volscorum lingua, qui clu-it seu purgat, sicut Romanorum ille deus Februus a cuius nomine verbum februare derivatum purgare significat (*Varro, L. L. VI*, 113). Sed quamvis haec altera interpretandi nominis ratio mihi magis arrideat quam prior illa, tamen difficile est hac in re quicquam certi adfirmare. Etenim de rebus sacris Volscorum apud antiquos scriptores nihil memoriae proditum inveni, praeterquam quod e Livio conspicitur Satrici, Volscorum quondam oppido Matris Matutae templum fuisse (VIII, 33. 27), et Suetonius gentem Octaviam memorat quondam ex decreto publico pro populo Veliternorum Marti rem divinam fecisse (*Oct. 1.*), sicut pro populo Romano Nautii Minervae (*Serv. Verg. Aen. V. 704. II. 166*), gens Iulia Apollini (*a. O. X. 316*), Potitii et Pinarii Herculi in ara maxima (*Fest. p. 237. Serv. Verg. Aen. VIII, 270*), aliis numinibus in Quirinali monte Fabii (*Liv. V. 46. Val. Max. I, 1, 11*) sacra facere solebant. Quae cum ita sint, totam rem integrum relinquo eis, qui religiones Romanorum accuratius, quam hucusque factum video, denuo retractare velint, et iam ad tertiam tituli Veliternensis vocem inquirendam transeo.

Statō m igitur Volsce eandem verbi formā esse ac Latine statūm, nemo erit qui infitias eat. At difficilior est quaestio, quid in rebus sacris Volscorum, de quibus scriptum est in tabula nostra, significare videatur. Cui ut satisfaciam, primum aliquot scriptorum locos ascribam: *Fest. p. 344*: Stata sacrificia sunt, quae certis diebus fieri debent. Cato in ea, quam scripsit de L. Veturio, de sacrificio commisso, cum ei equum ademit: 'Quod tu, quod in te fuit, sacra stata, solemnia, capite sancta deseruisti'. *Fest. p. 92*: feriae statae appellabantur, quod certo statutoque die observarentur. *Liv. V. 52*: sacrificiis sollemnibus non dies magis stati quam loca sunt, in quibus fiant. *Fest. p. 351*: Sistere fana cum in urbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum sanorum constituere, quam(quam) Antistius Labeo ait in commentario XV juris pontifici, fana sistere esse lectisternia

certis locis et dis habere. *Serv. Verg. Aen.* IV, 200: Qui mos sit templorum constituendorum, relatum est, quae aut tantum sacra sunt, aut ibi etiam res publica administrari auspicato potest (cf. l. c. 377). Quibus scriptorum verbis inter se comparatis apparet, has dicendi formulas apud Pontifices sacerdotesque populi Romani in usu fuisse: stata sacra, stata sacrificia, stata loca, stati dies, statuti dies, statae feriae, stativae feriae (*Macrob. Sat.* I, 16) sistere fana, sistere lectisternia, constituere templa, constituere loca fanorum. Unde intellegitur, etiam in tabula Veliterna statom significare legem de ritibus aut diebus aut locis sacris divo Decluno instituendis qualemcumque latam, id quod comparata extrema tituli formula confirmatur.

EC : SE : COSVTIES : MA : CA : TAFANIES : MEDIX : SISTIATIENS. Haec verba Mommsenius (l. c. p. 325) recte interpretatus est: Ec. Se. fil. Cosutius, Ma. Ca. fil. Tafanius meddices statuerunt, et cum aliqua veri specie praenominum notas Ec. et Ca. supplevit Egnatius et Gaius, cum de ceteris varie conicere licet (egl. AK. Umbr. Sprd. II, p. 311). Ad formam autem nominativi pluralis medix a singulari non diversi conferendi sunt Oscorum nominativi pluralis $\mu\acute{e}\delta\delta\varepsilon\iota\xi$ (tit. Mamert. Momms. Unt. Dial. tab. XII, 39a.) meddiss (a. O. tab. VIII, 51) censur (tab. Bant. 19. 20.) quas quidem formas Kirchhoffius (*Stadtrecht von Bantia*, p. 13) optime demonstravit elisione vocalis ortas, qua consonans s, nota videlicet nominativi pluralis, cum stirpe vocis coniuncta fuerit. Hac enim elisa fieri non poterat, quin s cum praecedenti x coalesceret in unum sonum aut ipsius x, ut in forma $\mu\acute{e}\delta\delta\varepsilon\iota\xi$, aut emollita gutturali parte duplicitis huius consonantis in ss, id quod animadvertere licet etiam in Volsca forma medis (tab. Antin. Momms. Unt. Dial. p. 321) et in Osca meddiss; praecedente vero consonanti r idem s, quoniam non serebant Osci sonum rs in exitu verborum, plane defecit, ita ut nuda stirps nominis censur relinquetur. Nec dubium videtur, quin verbum sistatiens significet statuerunt, quamvis forma eius controversiam movere possit. Adhibitis igitur Oscorum perfectis prusa-tted (titt. Pompei. tab. XI, 21. 24. 26), i. e. probavit, profa-ttens (*Cipp. Pompei. v. 11*) i. e. probaverunt, teremna-ttens (a. O. 2. 5—6), i. e. terminaverunt, in promptu est a stirpis sta-forma reduplicata si-sta-, quae Latine in si-ste- vel si-sti-adtenuata est, perfecti tertiam personam pluralis si-sta-ttens eadem ratione prodire, ut ab Oscis verborum stirpibus profa-, teremna- formas profa-ttens, teremna-ttens. Cum autem in tabula nostra Veliterna nusquam littera duplicata reperiatur, pro sista-ttens Osco more scripto Volsce si-sta-ttens requirendum videtur. Re vera autem hanc formam genuinam et integrum fuisse apud Volscos, eamque immutatam esse et corruptam in si-stia-tiens, conlatis Oscis quibusdam vocabulorum formis affirmare ausim. Sunt vero bae:

eitiuvam, tit. Pompei. tab. X, 24. cf. eituam, tab. Bant. 9.

eitiuvad, l. c. eituas l. c. 9. 13. 18. 27.

tiurrí, tit. Pompei. tab. XI, 29 a. b. cf. Lat. turrem.

Tiiatium, num. Teat. Momms. Unt. Dial. p. 201. 301. cf. Tianud. Momms. l. c.

Tiati l. c.

piíhioí, tab. Agn. b. 15.

piístiaí, tab. Agn. a. 14. b. 17.

cf. Umbr. peho-, pihō-. AK. Umbr. Sprd. II, 412.

cf. Volsc. pihom, Lat. pius.

Ex his formis inter se comparatis elucet, tenues consonantes t et p Oscorum lingua interdum sono quodam I in pronunciatione subiuncto, quem a semivocali sibilanti Latina I haud alienum fuisse crediderim, mollitas et obtusas esse. Sic etiam apud Volscos genuina et integra forma si-sta-tens pronuntiando corrumpi poterat in si-stia-tiens; etenim ne de scribendi errore cogitem, formis litterarum tabulae nostrae prohibeor acuto ubique scalpro distincte et accurate incisarum.

Cum formulis autem in exordio et in fine nostri tituli scriptis mirum quantum consentiunt Oscorum quaedam formulae sacrales ritualesque in tabula votiva Agnonensi servatae (*Momms. Unt. Dial. tab. V, 1*). Nam verba quae initio scripta sunt: statos pos set hortín kerriín, nihil aliud significare quam: stati qui sunt in templo Cereali, dudum luculenter demonstratum videtur (*Knoetel, Zeitschr. f. Alterthw. 1852, n. 17. Kirchh. Stadtr. v. Bantia. p. 9. f. Zeitschr. f. vergl. Sprachf. V, 127*). Quaeritur autem, cuiusnam substantivi notio supplenda sit ad participium statos, locusne an dies constituantur sacrorum singulis numinibus, quae in titulo illo enumerantur, faciendorum. Quorum locus cum verbis hortín (*l. c. v. 1*), i. e. in templo et aasaí (*l. c. v. 16*), i. e. in ara indicatus sit, non video, statos quid aliud Osce significare possit ac dies statos, quibus ibidem singulis deis sacra fiant. Atque hoc etiam comprobatur voce statif, quam in antica tabulae quater et decies repetitam invenimus post singula deorum nomina, sicut ex his exemplis apparet: dioveí regatureí statif (*l. c. v. 12*). herekloí kerriíoí statif (*l. c. v. 13*). Adverbium sta-ti-f autem casum locativum existimo substantivi verbalis sta-ti-, cuius accusativum sta-tim Latina lingua in adverbium convertit eodem modo ut rap-tim, carp-tim, praeser-tim, junc-tim, alia permulta. Sic Umbricum adverbium ku-te-f a nomine verbali ku-ti- derivatum idem valere ac Latine cau-ti-m linguae Umbricae interpretes demonstraverunt (AK. Umbr. Sprd. I, p. 150. II, p. 236). Notam vero locativi casus-f, quam e pleniore -fem, -fe in Umbrorum lingua mutilatam esse constat, etiam adverbium pronominis relativi pu-f apud Oscos (*tit. Pompei. tab. XI, 29 a. b*) prae se ferre videmus, cui Umbrice respondet pu-fe, Latine u-bi (cf. ali-cu-bi) atque eadem ratione a stirpe i pronominis demonstrativi prodiit Umbrice i-fe, Latine i-bi (AK. Umbr. Sprd. I, p. 150. III). Quodsi Latinum statim idem valuisse ac statuto loco vel tempore, docent hi scenicorum poetarum versus:

Plaut. Amph. 276:

I'ta statim stant signa neque nox quicquam concedit die.

Ter. Phorm. 789:

... nam ex eis praédiis talénta argentibína

Capiébat statim . . .

inde colligitur etiam Oscum adverbium statif in tabula votiva Agnonensi significare statu die vel statis diebus, it aut Osca verba: dioveí regaturei statif accurate respondeant Latinis: Iovi rectori statim, item Osca: herekloí kerriíoí statif idem valeant ac Latina: Herculi Cereali statim. Iam cum formula initiali: statos pos set hortín kerriín

conferenda sunt eiusdem tabulae verba ultima in postica scripta: horz dekmannois stait, quorum sensus fugit interpretes, quod de decumano limite cogitabant (*Monms. Unt. Dial.* p. 140). Sic enim nequaquam intellegitur, quid sibi velit hoc loco numerus pluralis vocis dekmannois, vel qui fieri possit, ut unum templum in compluribus limitibus seu agris decumanis stare dicatur. Erit igitur alia via interpretationis quaerenda. Cum inter cetera numina bis in titulo Osco nostro Herculis nomen legatur dativo casu positum, herekloí kerrioi (a. 13. b. 17), sequens dekmannois in postica scriptum facile nos monet decimae Herculis, de qua Macrobius refert, III, 42: Testatur etiam Terentius Varro maiores solitos decimam Herculii vovere.

Plaut. Bacch. 665:

.. Hérculem fécit ex patre

décumam partem éi dedit síbi novem apstulit.

Stich. 386:

Hércules, decumam ésse adauctam tibi quam vovi grátulor.

Quod genus sacrificii Potitios et Pinarios ad aram maximam quandam Herculii peragisse constat (*Fest. p. 237*). Hanc vero decimam etiam ceteris numinibus oblatam esse a Romanis Paulli verba docent, p. 71: Decima quaeque veteres diissuis offerebant, et Dionysii Halicarnassensis locus, A. R. VI, 17: ἀπὸ δὲ τῶν λαρύγων ἐξελόμενος τὰς δεκάτας, ἀγῶνας τε καὶ θυσίας τοῖς θεοῖς ἀπὸ τεσσαράκοντα ταλάντων ἐποιεῖ, καὶ ταῦτα κατασκενὰς ἐξεμίσθωσε Λίμητρει καὶ Αἰονιστῷ καὶ Κόρῃ. Quodsi Herculi, Cereri, Libero Liberaeque, ceteris numinibus apud Romanos decimis conlatis sacra et templa constituta legimus, idem obvenisse deis in tabula Agnonensi enumeratis, velut Kerrí, i. e. Cereri, diovei regaturei, i. e. Iovi rectori, herekloí kerrioi, i. e. Herculii Cereali, deívai genetai, i. e. divae Genetae, e voce dekmannois in fine formulae votivae scripta adfirmare non dubito. Est autem dekmannois ab Osco numerali dekmo-, i. e. decimo- ita ortum, ut primum vocis particula -ano ad stirpem eius adfixa dekmano- fieret, Latino decimano- respondens, deinde haec stirps ita adaucta denuo amplificaretur syllabis finalibus -io adiectis. Duplex igitur n verbi dekmannois non assimilatione litterarum ortum videtur, sed vi accentus, quo antepenultima elata erat, sonus consonantis n pinguior crassiorque redditus est ut in nummorum inscriptione akudunniad (*Monms. U. D. p. 246*), i. e. Aquilonia, id quod in lingua Latina persaepe evenisse constat. Ita cum dekmannois propri sit adiectivum, quo comprehendantur res qualescumque ad decimas pertinentes, ut Latino decimanis, tamen cum nostro loco substantivi vice fungatur, in conexu verborum nihil aliud significat ac decimis. Ut autem dignoscatur, utrum dativus an ablativus pluralis sit dekmannois, iam sequentis verbi stait ratio habenda erit. Formae igitur stait et staiet (*Cipp. Abell. a. 58*) cum antea probabili ratione pro coniunctivis habitae esse viderentur, quae Latinis stet et stent responderent (*Kirchh. Stadtr. v. Bantia p. 9*), nuper Buggius (*Zeitschr. f. vergl. Sprachf.* V, 7) aliam protulit interpretationem, cui quin assentiar, vel invitus facere non possum. Docet enim stait et staiet non coniunctivi sed indicativi praesentis esse formas, easque a verbi stirpe

sta-i- adfixo i amplificata e simplici sta- deducendas esse. Eadem stirpis formam Umbrice esse stah-e-, stah-i-, littera h inserta ut assolet apud Umbros, quae porrectam a vocalem notet, unde iam Aufrechtius derivavit imperativum sta-i-tu, i. e. sta-to, indicativum stah-u, i. e. sto, futurum stah-e-ren, i. e. stabunt (*Umbr. Sprd.* I, p. 79). Ne repetam igitur argumenta, quibus vir ille doctus ostendit, stait vertendum esse stat, et staiet in Cippo Abellano scriptum stant, facile intellegitur hunc sensum indicativi stait aptissimum esse in formula finali tabulae votivae Agnonensis, de qua hoc loco agitur. Cum enim saepissime verbum Latinum stare cum ablativo instrumenti coniunctum reperiatur, ut apud Livium, VIII, 7: disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, solvisti, etiam Oscum dekmannois, quod praecedit indicativo stait, ablativum interpretari non dubito. Ergo verba horz dekmannois stait vertenda sunt templum decimis stat, hoc est templum decimis statutum sive constitutum est. Formula igitur sacralis Osca horz stait accurate convenit cum Latinis fana sistere, templa constituere. Quid vero sit decimis stituere templum, optime intellegitur e loco Dionysii laudato (A. R. VI, 17), ubi memoriae proditur, decimis quadraginta talentorum de praeda exemptis (*ἀπὸ δὲ τῶν λαφύρων ἐξελόμενος τὰς δεκάτας*) non solum ludos et sacra celebrata sed etiam templa constituta (*ναῶν κατασκευάσ*) esse Cereri Libero Liberaeque. Simili ratione de templo Diana Aventinensis Servio rege auctore a foederatis Latinis constituto idem rerum scriptor narrat, A. R. IV, 26: Συνεβούλευσεν αὐτοῖς Ἱερὸν ἀσυλον ἀπὸ κοινῶν ἀνακομάτων ἐν Ρώμῃ κατασκευάσασθαι ἐν ᾧ θύονται, εἰ αἱ πόλεις συνεργόμεναι καὶ ἔκαστον ἐνταῦτον ἴδιας τε καὶ κοινὰς θυσίας καὶ πανηγύρεις ἀσύνονται, ἐν οἷς ἀνὴρ ὄρισμων χρόνοις, ubi verba *ἱερὸν* — *ἀπὸ κοινῶν ἀνακομάτων* — κατασκευάσασθαι fere idem valent ac templa decimis constituere.

Iam ut redeamus ad tabulam nostram Veliternam, si quis concederit, Osca verba horz dekmannois stait significare templum decimis statutum est, eo minus dubitabit Volscam formulam Ec. Se. Cosuties Ma. Ca. Tafanies medix sistatiens vertendam esse Ec. Se. f. Cosutius, Ma. Ca. f. Tafanius meddices statuerunt. Apparet igitur duos Veliternorum meddices seu praetores fanum vel aram constituisse divo Decluno numini, ideoque statom, hoc est legem de sacris huic deo ferendis statutam in tabula aenea inscribendam curasse.

Explanatis igitur formulis tituli nostri et initialibus et finalibus viam apernisse et munivisse quodam modo mihi videor, qua progressus sensum ceterorum tabulae verborum comprehendere possim. Quae quidem eo ordine in disceptionem vocabo, qui maxime mihi argumentationem iuvare atque expedire videtur.

FEROM PIHOM ESTV. Horum verborum postremum estu imperativum esse stirpis verbi es- et Osco estud (*Cipp. Abell. a. 40. 44. tab. Bant. 12. 23. 26. 30. 37*) Latino esto respondere, quis est quem fugere possit? Nec difficile erat cognitu, vocem pihom cum Umbrica stirpe peho- pihoh- esse conferendam unde verbi formae peha-tu, piha-tu, i. e. piato, piha-fei, piha-fi, i. e. piavi, piha-z, pihos, i. e. piatus, et substantivum piha-klu,

piha-clo, i. e. piaculo prodierunt (*AK. Umbr. Sprd.* II, p. 412 f.) Neque ab his seiunctum est Oscum piñhoí (*tab. Agn.* b. 15) i. e. pio, nisi quod vocis particula -io simplici stirpi piñho-adfixa videtur. Volsce igitur piñhom idem est quod Latine pium. Denique fer-om, quod Mommsenius pro arbitrio iustum vertit, infinitivum interpretor Latino ferre respondentem eiusdem generis ut in lingua Umbria a-ferom, a-fer-o, i. e. circum-ferre, er-u, er-om, i. e. esse, faç-u, faç-u, i. e. facere, a-seri-o, i. e. observare, stipl-o, i. e. stipulari (*AK. Umbr. Sprd.* II, p. 415. I, p. 149), apud Oscos ac-um, i. e. agere, a-ser-um, i. e. adserere, deic-um, i. e. dicere, ez-um, i. e. esse, censa-um, i. e. censere, molta-um, i. e. multare (*Momms. U. D.* p. 234. *Kirchh. Stadtr. v. Bant.* p. 34. 53. *AK. Umbr. Sprd.* II, 330). Quos quidem infinitivos interpretes monumentorum Umbricorum accusativos nominum verbalium interpretantur a verbi stirpe derivatorum adfixa u, o vocali. Quid igitur? Num quis dubitare poterit, Volscum verbum fer-om in titulo nostro, ubi de sacris constituendis agatur, eodem sensu exhibitum esse ut Umbricum ferum, ferom in caerimonis tabularum Iguvinarum (*AK. Umbr. Sprd.* II, 406) et Latinum ferre in rebus sacris Romanorum? Ergo verba ferom piñhom estu vertenda sunt: ferre pium esto, unde sequitur de quovis sacro agi in titulo nostro, quod divo Decluno ferri fas sit eis legibus seu conditionibus, quae verbis a coniunctione conditionali praecedenti se, i. e. si bis repetita pendentibus indicentur.

ASIF VESCLIS VINU ARPATITV. Ex hac formula sacrali Mommsenius verba vesclis, vinn recte vertit vasculis, vino et linguae Umbrae interpretes comparaverunt cum Umbricis veskles, vesklir, vinu, vino (*AK. Umbr. Sprd.* II, p. 281.) Etenim vasculis et vino etiam Umbrorum sacerdotes in comprecationibus rite peragendis usos esse, docent formulae tabularum Iguvinarum, e quibus exempli causa has ascribam:

- t. Ig. VII a, 9: vesklir adrir — persnihmu.
vasculis atris — precator.
- t. Ig. VII a, 24: vesklir alfir — persnihmu.
vasculis albis — precator.
- t. Ig. II a, 39: asaku vinu — taçez persnihmu.
ad aram vino — tacitus precator.

(*AK. Umbr. Sprd.* II, p. 190. 281. 387. cf. 28). Quodsi in his formulis voces vesklir et vinu sequitur verbum ad rem divinam faciendam spectans, inde conicere licet, in tabula Veliterna vocabulum ar patitu, quod eisdem vocibus subsequitur scriptis, verbum esse generis eiusdem. Primum igitur comparato imperativo estu, de quo egimus, facile nobis persuadebimus etiam ar patitu imperativum verbi compositi ar-pat-i-tu eadem stirpe linguae Sanscritae pat-(ire) ortum, unde Latine pet-o Graece πέτ-ομαι prodiit, qui proxime accedit ad formam Latini ad-pet-i-to. Antiquam vero eundi notionem etiam Latine retinuit haec stirps in composito p̄ae-pet-es (*Fest.* p. 205), quo augures Romanos significasse aves legimus, quae provolantes secundum auspicium facerent. Quem eundi sensum etiam Volscum compositum ar-pat-itu servasse arbitror, ita ut idem significet ac Latinum accedito. De forma autem illius imperativi primum notandum videtur,

vocalem *a* stirpis etiam in composito praefixa praepositione integrum servatam esse sicut in Umbris *ar-kani*, *pru-kanurent*, *sub-ahtu*, *ar-habas*, *an-takres*, *Iu-pater*, cum Latina composita quae his respondent *a c-cinere*, (*pro-cin-*), *sub-igere*, *ad-hibere*, *in-teger*, *Iu-piter* sicut cetera fere eiusdem generis vocalem *a* in *i*, *e* attenuatam habeant (AK. *Umbr. Sprd.* I, p. 19). Sic etiam Oscorum composita *aa-manaffed*, *anter-statai* stirpis vocalem *a* in columem retinuerunt (Momms. *UD.* p. 244. 296.) Deinde animadvertisendum est praefixam praepositionem *ar-* verbi *ar-patitu* simili ratione depravatam esse e genuina forma *at*, *ad*, ut *ar-* in Umbris compositis *ar-veitu*, *ar-fertur*, *ar-putrati*, *ar-kani* (AK. *Umbr. Sprd.* I, 64—66) ac plane congruere cum Latina praepositionis eiusdem forma, quam composita *ar-biter*, *ar-volare*, *ar-vorsum*, *ar-vehant*, *ar-fari*, *ar-fuisse*, *ar-cesso* alia haud pauca prae se ferunt. Quam quidem rem hic attigisse tantum satis habeo, cum de formis praepositionis *at*, *ad*, *ar*, *ar* infra accurius agere in animo sit. Ita ab omnibus partibus, si quid video, enucleata et confirmata est significatio *accedito*, quam Volsco vocabulo *arpatito* vindicandam arbitratus sum. Ab hac vero ipsa accedendi notione eo deducimur, ut verbum requiramus in titulo *Veliterno scriptum*, quo locus ad quem accendendum sit definiatur.

Examinemus igitur vocabulum *asif*, quod est primum formulae de qua agitur. Quid? Nonne finalis eius litteram *f* ad stirpem verbi additam iam supra vidimus locum significare? Audiamus linguam Umbricam, in qua constat casus locativi notam *-fem*, *-fe*, *-f* ad nominum stirpes adfixam indicare locum ad quem accedatur, eamque plurali numero propriam esse, ita ut *veru-fe*, (AK. *Umbr. Sprd.* I, 951) significet ad portas. Praeterea obtusas ac mutilatas huius notae formas *-fe*, *-f* etiam ad singularem numerum adhibitam invenimus, ut locus definiatur, ubi versetur aut res aut persona, in adverbiosis *i-fe*, i. e. *i-bi*, *pu-fe*, i. e. *u-bi*, *esu-f*, i. e. *istic* (AK. *Umbr. Sprd.* I, p. 150) sicut in Osco *pu-f* iam memorato et in Latinis *i-bi*, *in-i-bi*, *inter-i-bi*, *post-i-bi*, *i-bi-dem*, *u-bi*, *ali-cu-bi*, *ali-bi*, *u-bi-que*, *u-bi-cumque*, de quibus nuper plenius disserui (Zeitschr. f. vergl. Sprachf. V, 119. f.). Inde colligitur litteram *f* vocabuli Volsci *asif* eiusdem generis esse notam loci ad stirpem vocis adfixam, ut locus ad quem accendendum sit, ad quem spectet illud verbum *arpatitu*, designetur. Deliberantibus porro, quae nam fuerit illa stirps, facile occurruunt atque ultro se offerre videntur Umbrica vocabula *asa* et *aso* (AK. *Umbr. Sprd.* p. II, 402), Oscum *aasa* (Momms. *U. D.* p. 244), Latinum *asa* (Ter. *Scaur.* p. 2252), unde *ara* prodiit. Horum vocabulorum notionem quis ambigat etiam in Volsco *asif* inesse? At enim quaeritur, cuinam declinationi nomen *Volscum* vindicandum videatur, vel quae nam fuerit eius forma stirpis. Quam nec *asa-* nec *aso-* fuisse, pro similitudine illa, quae intercedit inter Umbrorum et Volscorum linguam, coniecerim e casibus locativis illorum *fesna-fe*, *presolia-fe*, *hebeta-fe*, a stirpibus *fesna-*, *presolia-*, *hebeta-* formatis et secundae quae vocari solet declinationis *veru-fe*, *vero-fe*, *avieklu-fe*, *krematru-f*, qui et ipsi vocalem *u*, *o*, qua dignoscitur classis declinationis, integrum servaverunt. (AK. *Umbr. Sprd.* I, p. 114). Eadem ratione ni fallor Volscorum casus locativi *asa-f* aut *aso-f* sonare debebant, si a stirpibus *asa-* aut *aso-* orti essent. Quam obrem ut a stirpe *asu-* derivandum arbitrer, me

movet eadem illa Volscae linguae cum Umbrica similitudo. Etenim a stirpibus huius linguae arputratu, i. e. arbitratu, manu, i. e. manu, trefu, i. e. tribu prodierunt ablativi arputrati, mani, trefi, quod ea ratione factum esse interpretes Umbricarum inscriptionum docuerunt, ut genuinae ablativorum formae fuerint arputratu-id, manu-id, trefu-id, nota ablativi d interposita vocali i cum verbi stirpe coniuncta, deinde u vocalis vel obmutuerit vi sequentis i vel cum ea coaluerit in i longum (*AK. Umbr. Sprd. I, 371*). Sic etiam linguae Oscae stirpis castru- ablativus castr-id ortus videtur e pleniore forma castru-id et stirpis manu- accusativus man-im ex ampliore forma castru-id et stirpis manu- accusativus man-im ex ampliore forma manu-im (*tab. Bant. 8. 24. Kirchh. Stadtr. v. Bant. p. 79. 80*), ita ut hic quoque vocalis, qua classis declinationis dignoscitur, cedat subsequenti, qua intercedente casus nota cum stirpe verbi coniungitur. An vero alia ratione prodiisse putabimus genetivos Latinos apud scenicos poetas antiquiores vel maxime usitatos velut gemiti, quaesti, tumulti, sumpti, senati, strepiti, lucti, aesti, parti, soniti, ornati, fructi, adventi, piscati, porti, exerciti, aspecti, lucti, salti, geli (*cf. Non. cap. VIII, p. 328—337. G. Charis. 10. 40. 105. 116. P. Prisc. VI, 73. 84. VII, 86. H. Anal. gramm. Vindob. p. 127. Don. Ter. Andr. II, 2, 28. Hec. III, 2, 21. Ritschl, tab. Aletr. p. 7—9. Rhein. Mus. VII, 494*)? Nempe in omnibus his genetivis plena et genuina forma uis correpta est in i, vocalibus u et i pronuntiando confusa in i longum, nota vero genetivi s abiecta. Id certe appareat, Volsce as-if posse eadem ratione prodire ab asu-if ut Umbrice arputrat-i, man-i, tref-i ab arputratu-id, manu-id, trefu-id, Osce castr-id, man-im a castru-id, manu-im, Latine senat-i a senatu-is. Hac igitur argumentatione fatus Volscum asif vertendum esse ad aram existimo. Nec vereor, ne quis mirum vel inauditum putet, quod Latine, Osce, Umbrice stirps asa in a exeat, contra Volsce asu in u desinat, si modo reputaverit Latino castro- respondere Umbrice et Osce castru- (*Kirchh. Stadtr. v. Bant. p. 57*) Latino terra Osce terom (*Cipp. Abell. 18. 19. 21. 46. 49. Momms. U. D. p. 299*), ut alia eiusdem generis omittam.

Ergo verba tituli Veliterni asif vesklis, vinu arpatitu vertenda sunt: ad aram vasculis vino accedito. Verborum igitur structuram similem esse videmus atque in Umbricis formulis supra scriptis: vesklir alfir- persnihmu, i. e. vasculis albis precator, vesklir adrir- persnihmu, i. e. vasculis atris precator. Accuratissime vero structura verborum tertia, de qua supra dictum est, formula Umbrica cum Volsca nostra congruit: asaku vinu- taçez persnihmu, i. e. ad aram vino- tacitus precator. Similes vero ritus sacrorum descriptos legimus in actis fratrum Arvalium, *Marini, Atti e Monum. d. frat. Arv. tab. XLI*: Item flamen et promagister scyphos argenteos cum sumpuvis vino repletis ante ostium (et) acceras (ferentes) ture et vino fecerunt, deinde reversi in aedem in mensa sacrum fecerunt ollis, et ante aedem in cespite promagister et flamen sacra fecerunt, — ad aram reversi thesauros dederunt, exierunt tripodaverunt, — item foras ad aram reversi thesauros dederunt. Pro vesclis Volscorum et Umbrorum hic scyphos argenteos et ollas habemus, et ut in tabula

Veliternensi ad aram accedere iubentur qui sacra faciunt, sic fratres Arvales ad aram redeant. Neque quemquam fugere potest, verba tabulae nostrae asif vesclis, vinu arpatitu interpretanda esse: ad aram cum vasculis vinu repletis accedito. Hunc igitur ritum observare iubentur e statuto prætorum Veliternorum, si qui divo Decluno pia sacra ferre voluerint.

Iam restant tres enuntiationes conditionales in nostra tabula a coniunctione se, i. e. si pendentes, qui explanatione egent. E quibus primum in disceptationem vocabimus duas istas formulas conditionales, ad quas verba asif vesclis, vinu arpatitu respondent, tum tertiam, cui respondet formula ferom pi hom estu.

SE BIM. De forma coniunctionis se, qua ratione coniuncta sit cum Osca svai, svae, Umbrica sve, Latina se, sei, si infra accuratius agendum erit. Accusativum bim autem a Mommensio recte bovem versum esse, certis argumentis confido me demonstrare posse. Etenim iam supra explicatum est, adtenuatos esse ablativos Umbrorum arputrati, mani, trefi e formis arputratuid, manuid, trefuid, Oscorum castrid e castruid, Volscae linguae locativum casum asif ex asuif ortum, apud Oscos denique accusativum manim e manuim correptum esse. Simili ratione explanandus videtur accusativus Umbrici nominis sim, cui respondet Latine suem, Graece σῦν, ὁρ (AK. Umbr. Sprd. I, 36), ita ut apud Umbros et Latinos ad stirpem su- nota accusativi m interposita vocali i adfixa sit, deinde stirpis vocalis u ad sequentem i assimilata cum hac vocali in i longum coauerit. Ergo sim pro suim Umbrice dictum est ut Volsce manim pro manuim. Simile est quod docent interpretes monumentorum Umbricorum, nomen pir, cui Graece πῦρ, Germanice fiur respondeat, a voce linguae Sanscritae puvas ita descendisse, ut primum puvar, tum puer, deinde pier denique pir pronuntiaretur (AK. Umbr. Sprd. I, p. 36. 7). Quodsi cum Latino accusativo bov-em, Graeco βοῦν Volscum b-im comparaverimus, facile nobis persuadebimus hunc simili ratione e genuina et pleniore forma contractum esse. Nempe ut dativo Iovi Umbrice Iuve respondet (AK. Umbr. Sprd. I, 56), sic consentaneum est pro consanguinitate ut ita dicam linguae Umbricae et Volscae stirpem Latinam bov-, Graecam βοῦν- Volsce quondam buv- sonuisse ideoque Latino accusativo bov-em apud Volscos buv-im respondisse vocali i interposita, quae notam accusativi m cum stirpe vocis coniungeret. Ut autem in Umbricis formis eiusdem nominis bum, i. e. bovem, bue, i. e. bove, buo, i. e. boum, buf, i. e. boves (AK. Umbr. Sprd. I, 128) et in Latinis boum, bubus deleta est semivocalis v, sic genuina illa Volscorum forma buv-im dissoluta eadem semivocali v abiit in bu-im; haec vero contracta est in bim, cum vocalis u assimilata ad sequens i coalesceret cum hoc in i longum ut Umbrice su-im in sim, Osce manu-im in manim correptum esse ostendimus.

Habemus ergo enuntiationem conditionalem: se bim-, asif vesklis, vinu arpatitu, ita explanatum: si bovem-, ad aram vasculis vino (repletis) accedito. Unde apparet priori parti enuntiationis deesse verbum, quod a coniunctione se pendeat et accusativum bim regat, idque verbum repetendum ac supplendum videri e praecedentibus tituli nostri formulis. Et quidem requiritur ad bovem in formula sacrali memoratum verbum, cui subsit aut notio votandi consecrandique aut mactandi sacrificandique quaedam significatio. Quod verbum ut inveniamus, iam transeamus

necesse est ad primam nostrae inscriptionis enuntiationem conditionalem: se pis atahus, pis Velestrom fasia, esaristrom, cui duo verba inesse perspexit Mommsenius, alterum atahus a coniunctione se pendens, alterum fasia relativae enuntiationis quae a pronomine pis incipit. Solvamus igitur primum enuntiationem relativam e conexu ceterorum verborum.

PIS VELESTROM FASIA. Non multa sunt, quae de his verbis ad Mommsenii versionem: quisquis Veliternorum faciat, addenda videantur. Primum igitur cum forma pronominis pis apud Volscos eadem prorsus sit ut in Oscorum et Umbrorum lingua, recte animadversum est interdum sensu indefinito exhibitum esse (*Momms. U. D. p. 290*). Sic enim in tabula Bantina leguntur verba:

pis- comono- hafiest meddis-, factud

quisquis- comitia- habebit magistratus-, facito

(*tab. Bant. 8. Kirchh. Stadtr. v. Bant. p. 79*), et alio loco eiusdem legis:

pon censetur Bansae toutam censazet, pis cevs

cum censores Bantiae populum censebunt, quisquis civis

Bantins fust, censamur.

Bantinus fuerit, censemtor.

(*tab. Bant. 19. Kirchh. a. O. p. 80.*)

Simili ratione Umbricum pronomen usurpatum reperimus in hac tabularum Igavinarum formula:

pis est totar Tarsinater-, eetu ehesu poplu,

quisquis est civitatis Tadinatis-, exito ex hōce populo.

(*Tab. Ig. VIb. 53. 54. AK. Umbr. Sprd. II, 253. f. 275*)

Comparatis igitur formulis

Volscorum: pis Velestrom fasia,

Oscorum: pis cevs Bantins fust,

Umbrorum: pis est totar Tarsinater,

non est dubium, quin Velestrom sit populi nomen genetivo positum qui a pis pendeat, ut totar Tarsinater in verbis Umbricis. Ad formam autem genetivi pluralis Velestrom conferendi sunt genetivi Umbrorum recentioris aetatis pihaclō, i. e. piaculorum proseseto, i. e. prosectorum, Atiersio, i. e. Attidiorum, cum antiquiora linguae Umbricae monumenta pro o etiam huic casui u vindicasse forma Attieriu, i. e. Attidiorum edoceamus (*AK. Umbr. Sprd. I, p. 120*). Eiusdem generis constat genetivos esse nominum populorum in nummis Italiae inferioris inscriptorum velut Aiserninom, Ladinom, Caiatino, Caleno, Corano, Cozano, Paistano, Romano, Suesano, Tiano (*Momms. U. D. p. 204*). Proxime igitur ad Volscam formam Velestrom accedere genetivos Ladinom, Aquinom videmus, cum ceterum apud Umbros consonans finalis huius casus plane perierit, apud Romanos tam debili tenuique sono fuerit, ut in antiquissimis linguae Latinae monumentis modo scriberetur, modo omitteretur. In altera huius libelli parte et de illius m finalis sono et de vicibus vocalium u et o in syllabis finalibus consonanti m praecedentium, qualis fuerit in linguis Italiae antiquae, quaestionem instituendam mihi proposui. Hic vero querendum videtur, qua ratione urbis nomen Velitrae, sicut

Romani pronuntiabant, cum forma Volsci genetivi cohaereat. Est igitur Latinum nomen oppidi plurali forma ut Careiae, Fregenae, Fidenae, Antemnae, Cutiliae, Pausulae, Acerrae, Stabiae, Baiae, Allifae, Callifae, Aecae, Canuae, Rudiae, Lupiae, Apennestae, Carsulae, Algae, Velinae, Pisae, Faesulae; atque hanc formam etiam apud Volscos usitatam fuisse docent nomina oppidorum in Volscorum et Auruncorum finibus sitorum Fregellae, Verulae, Lautulae. Itaque comparato Latino nomine Velitrarum cum Volsco genetivo Velestrom colligere licet, oppidi nomen in Volscorum ore Velestre fuisse, feminino genere diversum a nomine populi Velestrom. At quaeritur, e Volsco Velestre quomodo Velitrae Latine prodire potuerit. Ad hanc quaestionem ut respondeamus, nominis Volscorum ratio habenda erit. Cuius formam non semper eam fuisse, ut consonantes lsc se exciperent nulla vocali interposita, et re ipsa intellegitur, et Graeco scribendi modo Οὐολοῦσκοι (*Dion. Halic.*) comprobatur, unde appareat Volusci seu Volosci quondam pronuntiatum esse. Conlatis igitur nominibus Volos-ci et Veles-trom, partes eorum Volos- et Veles- non magis diversas fuisse crediderim quam Latine convollere (*Charis.* p. 174), voto (*Plaut.*), volim (*Prisc. VIII, 8 H.*), vorto, voster et convellere, veto, velim, verto, vester. Sicut vero in ore Romanorum o vel u vocali extrita Volosci seu Volusci in Volsci correptum est, sic etiam elisa e vocali Velestrae in Velstrae mutilatum videtur. Eadem enim vocalis e elisione fenestra abiit in fenstra, festra (*Fest. p. 91*), monestrum in monstrum, mostrum, Mostellaria. Tum vero, quoniam non tulit lingua Latina vocalium lstr sibi subsequentium cumulationem, fieri non poterat, quin consonans s extereretur, ita ut Velstrae in Veltrae mutaretur. Notum autem est linguam Latinam, cum aliquam diu elisionibus vocalium nimium indulisset, postea haud paucas earum, quae aut plane deperditae, aut adeo adtenuatae viderentur, ut vix audirentur, in integrum restituisse. Sic pro antiquioribus formis omissa vocali i scriptis Ofdius (*I. R. N. 57. 65*), ardum (*Lucil. ap. Non. II, p. 53. 9*), frigidaria (*Lucil. ap. Prisc. X, 57. H.*), postum, opposita, disposita, praeposta, compostum, repostus (*Lucret. Vergil.*), cante (*Carm. Sal. ap. Varr. L. L. VII, 27*) vicesma (*Or. 1433*) lingua Latina vocali i in integrum restituta formas refecit Ofdius (*Aufidius*), frigidaria, positum, opposita, disposita, praeposita, compositum, repositus, canite, vicesima. Sic a nominibus signum, tignum, pugnus diminutiva sigillum, tigillum, pugillus ea ratione derivata sunt, ut interposita seu relecta inter g et n vocali i primum signulum, tiginulum, pugnulus prodirent, quae deinde u eliso et n assimilato ad sequens l in illas diminutivorum formas correpta sunt. Simili ratione Graecis vocabulis in linguam Latinam receptis inter consonantes μν, ςν, ρν, δν sibi subsequentes, quippe quae durans sonare Romanis viderentur, insertam esse brevem vocalem i, nuper Ritschelius docuit his exemplis e libris plerumque manu scriptis aut inscriptionibus antiquis depromptis: mina, techina, hyminis, gymnasium, Cucinus, Procina, lucinus, Lycinia, Daphine, Daphinus, Ariadine (*Rhein. Mus. X, 447. f. XII, 99 f. 473. f. 639. f.*). In omnibus his vocibus cum i vocalis aut restituta aut inserta videatur, ut durior consonantium conlisarum sonus tolleretur vel mitigaretur, quem homines Latini aut omnino non

ferrent, aut ori suo non satis convenire sentirent, etiam in Latinam formam nominis Veltrae e Volsca Velestre ortam, quoniam consonantes *l* et *tr* praecedente *e* nusquam quod sciām in voce Latina reperiantur, vocalem *i* inter *l* et *tr* insertam esse existimō, ut forma Velitrae inde prodiret. Ceterum in extrema syllaba genitivi Velestrom, sicut in Latinis formis Veli-trae, Veli-ter-ni et in nomine urbis Volscae Ece-tra inesse arbitror comparativi notam *tero-, tro-*, cui Umbrice *tro-, Osce toro-, tero-* Latine *tero-* respondeat, unde conicere licet, etiam in lingua Volscorum comparandi gradus eisdem adiectivorum formis expressos fuisse ut apud Latinos, Oscos, Umbros.

Iam ad formam coniunctivi fasia ut transeamus, primum videmus notam tertiae personae *t* finalem abiectam esse ut in Umbricis formis *façia*, i. e. faciat, *teça*, i. e. dedat, *portaia*, i. e. portet, *habia*, i. e. habeat, *prehabia*, i. e. prahibeat, *praebeat* (*AK. Umbr. Sprd. I, 141*), ad quas infra mihi redeundum esse video. Etiam de sibilanti consonanti *s* pro gutturali *c* pronuntiata et scripta in coniunctivi forma fasia edocemur lingua Umbrica in subsidium adhibita. Demonstraverunt enim peritissimi huius linguae cognitores tenuem gutturalem *k* saepe subsequentibus *e* et *i* vocalibus assibilatam, eumque sonum nova littera inventa notatum esse (*AK. Umbr. Sprd. I, 71. f.*) Sic, ut paucis utar exemplis, et pronuntiata et scripta sunt *çesna*, *aseçeta*, *prosecia*, *Saçe*, *façiu*, quibus respondent Latina *cena*, *insecta*, *prosicia*, *Sanco*, *facere*. Tamen pro littera illa recens inventa haud raro scriptum est *s* in tabulis Iguvinis velut in his vocibus: *desenduf*, i. e. *duodecim*, *pase*, i. e. *pace*, *curnase*, i. e. *cornice* (*a. O. gloss.*). Sic etiam in Volsco verbo fasia gutturalis *k* consonans subsequente *i* vocali ita assibilata est, ut iam a sono acuti *s* haud diversa audiretur ideoque etiam huius litterae nota significaretur. Iam vero demonstratum videtur Mommsenium verba: *pis Velstrom fasia*, recte vertisse: quisquis Veliternorum faciat. Restat igitur prima tituli nostri formula conditionalis, quae interpretationem desiderat.

SEPIS ATAHVS - ESARISTROM. Ad Volscam scriptionem sepis hic sufficiat apposuisse Umbricas *svepis*, *svepir*, i. e. *siquis*, *svepu*, i. e. *siqua* (*AK. Umbr. Sprd. II, p. 414*), Oscam *svaepis* (*tab. Bant. 12. 18. 20*), Latinas *seiquis* (*legg. repetit. l. Jul.*), *seiqua* (*l. repet. Serv. q. v. l. agr. Thor. q. v.*), *seiquid* (*l. Rubr.*), cum et de forma coniunctionis *se a* *svai* oriunda et de pronomine indefinito *pis* infra agendum sit. Vocabulum atahus vero recte vidit Mommsenius verbum esse, eamque tertiam personam singularis futuri exacti e pleniora forma atahust abiecta *t* consonanti tertiae personae nota mutilatam. Nam cum Umbrica monumenta has habeant pliores vel magis integras formas: *benust*, i. e. *venerit*, *terust*, i. e. *dederit*, *fakust*, i. e. *fecerit*, *iust*, i. e. *ierit*, *covortust*, i. e. *convorterit*, *portust*, i. e. *portaverit* (*AK. Umbr. Sprd. I, p. 146*), quibuscum consentiunt Oscorum futura: *dicust*, i. e. *dixerit*, *hipust*, i. e. *habuerit*, *pruhipust*, i. e. *prohibuerit*, *fefacust*, i. e. *fecerit*, *peremust*, i. e. *peremerit* (*Momms. Unt. Dial. p. 243*), nota tertiae personae extincta est in his Umbrorum formis: *amprefus*, i. e. *ambierit*, *kuvurtus*, *covortus*, i. e. *convorterit*, *habus*, i. e. *habuerit*, quibus accurate respondere videtur Volsca tabulae nostrae atahus.

Difficilior sane est quaestio, quid de origine et significatione huius verbi statendum videatur. Iam supra monuimus accusativum *bim*, i. e. *bovem* requirere verbum unde pendeat, cui aut *vovendi* vel *consecrandi* notio subsit, aut *mactandi sacrificandique* sensus. Atque hoc quidem accuratis eo definire licet, quod ex futuro exacto atahus colligitur, iam perfectam atque absolutam esse actionem, quae hoc verbo significetur, tunc temporis, cum *Veliternorum* quisquis faciat cum vasculis vino repletis ad aram accedat et sacra ferre incipiat. Itaque non video, quem sensum habere verbum atahus possit nisi *vovendi* vel *consecrandi*. Tentemus igitur originem eius. De qua mihi cum Mommsenio dissentiendo esse video, qui eam *at-tig-erit* vertit et a stirpe *tag-* verbi *tangere* derivat, quod formae *Umbricae* futuri exacti *dersikust*, *fakust*, *fakurent*, *dersikurent* (*AK. Umbr. Sprd.* I, p. 73), item *Oscae dicust*, *fefacust* gutturalem *k*, *c* consonantem subsequentem *i* vocali nunquam in *h* emolliri passae sunt. Nam formam Latini illius stirpis *tag-* Umbrice *tak-* sonuisse, e composito *a-n-tak-re* intellegitur, quod respondet Latino *integro* (*AK. Umbr. Sprd.* II, 420). Itaque a stirpe *tag-*, *tak-*, etiam *Volsce* futurum exactum *a-tak-ust* exhibitum esse debebat, servata ad similitudinem *Umbricae* et *Oscae* linguae tenui consonanti *k*, cui vocalis *u* subsequeretur.

Ob eandem causam etiam a Latino verbo agere, *Oscum* *Volscam* formam atahust secernendam putavi, quamvis significatio a degerit a conexu tituli nostri nequaquam abhorreat. Itaque verbum compositum illud a radice *ah-* prodiisse arbitror, quae in lingua Sanscrita sensum dicendi servavit (*Pott, Etymol. Forsch.* I, p. 281). Huius igitur stirpis vestigia primum per linguam Latinam sequi liceat. Qua in re monendum videtur aspiratam consonantem *h* linguae Sanscritae, ubi extrema sit vocabulorum radicis, in medium *g* linguae Latinae transire solere, nisi subsequentes *t* aut acuto *s* in tenuem *c* acutatur. Sic e radicibus linguae Sanscritae *dah-* (*arere*), *mah-* (*venerari*), *dih-* (*oblinere*), *mih-* (*effundere*), *lih-* (*lingere*), *vah-* (*vehere*), *nah-* (*nectere*) derivata sunt Latina vocabula *lig-num*, *mag-nus*, *ting-ere*, *ming-ere*, *ling-ere*, *vec-sare*, *uec-tere* (*Pott, Etymol. Forsch.* I, p. 282. 59.) Unum verbum *veh-o* quod sciam aspiratam linguae Sanscritae servavit. Hanc vero aspiratam *h* sive medium *g* ex ea ortam vi vocalis *i* vel semivocalis *i* subsequentis dissolutam periisse constat in formis vocum maior et meio emagior, migio corruptis. Eadem prorsus ratione e linguae Sanscritae radice *ah-* (*dicare*) aspirata *h* primum in medium *g* mutata, deinde vi subsequentis *i* elisa prodit Latinum verbum *aire*. Etenim hanc fuisse antiquitus verbi formam nuper e scenicorum poetarum versibus demonstravit vir sagacissimus Fleckeisenius (*Zur Kritik ält. Dichterfragm.* b. *Gell.* p. 7 cf. *Plaut. Asin.* 901. *Circ.* 323. *Pacuv. Ribb. trag.rell.* v. 369. *Prisc.* X, 52. *H. N. Jahrb.* LXI, 19. *Zeitschr. f. vergl. Sprachf.* I, 231).

Sed alia quoque existant in lingua Latina vocabula ab eadem stirpe oriunda. Sic primum *ad-ag-iūm* ab eadem quidem radice *ah-* seu *ag-* prodiit, sed non a verbo *a-i-re*, quod radicem *ag-* adfixa vocali *i* amplificatam habet, ideoque in quartam quae vocatur coniugationem transiit, sed a simplici verbo *ag-ere*. Ita enim similia nomina composita *in-dicium*, *prae-ludium*, *prae-miūm* (*prae-imium*), *prae-diūm* (*prae-hendium*), *privi-legium*, *saci-*

zus *dis* *se* *spicere*

legium, re-fugium alia non pauca a simplicium verborum stirpibus dic-, lud-, em-, hend-, leg-, fug-, formata esse patet. Servavit autem compositum ad-agium stirpis vocalem *a* ut verba composita per-maneo, con-traho, con-valesco, com-paro, per-agro, red-arguo, de-pango, re-pango, ex-pando alia. Ad-agium igitur proprie significat dictum ad rem vel secundum rem, παράφεγμα, παρομία, ut admurmuratio id quod murmuratur ad rem.

Eiusdem vero verbi simplicis agere compositum dicere non dubito verbum nē-gō contractum e nē-igo, elisa vocali i ex *a* adtenuata ut in de-gō a de-igo, deinde vocali ē primae syllabae correpta ut in nē-queo, nē-fas, trā-ho, a-it pro nē-queo, nē-fas, trā-vehō, a-it. Animadvertisendum est autem, hoc compositum ne-g-a-re ad stirpem adsumpsisse *a* vocalem, quo factum est, ut in primam quae vocatur coniugationem transiret, sicut composita verbi agere quod facere significat, nav-ig-a-re, lit-ig-a-re, fat-ig-a-re. Ergo nego revera significat οὐ γρῆνι. Huc praetera pertinet quod Festi epitomator dicit, p. 3. *M:* axare, nominare. Etenim axare e simplici verbo agere (dicere) eadem ratione prodiit ut taxare, laxare, vexare, falsare, pulsare, defensare, prensare, pinsare, cursare, quassare, cessare a simplicibus verbis tangere, lacere, (lacer), vehere, fallere, pellere, defendere, prendere, pinsere, currere, quatere, cedere; scilicet a participiis seu adiectivis verbalibus illa verba per vocalem *a* derivata sunt ut a laxus, falsus quassus : laxare, falsare, quassare. Quodsi nomina propria a ceteris nominibus eotantum differunt, quod his genera rerum, illis singulae res notantur et discernuntur, facile est intellectu e dicendi notione simplicis verbi agere verbum iterativum vel intensivum axare suscepisse significationem nominandi, id est accuratius dicendi. Iam vero audiamus Paullum Diaconum, de axamentis quid dicat, p. 3. *M:* Axamenta dicebantur carmina Saliaria quae a Salii sacerdotibus canebantur in universos homines composita. Nam in deos singulos versus facti a nominibus eorum appellabantur ut Ianuli, Iunonii, Minervii. In his verbis scriptio nem homines corruptam esse non fugit editores. Namque O Muellerus non dubitat Festum scripsisse deos, Grauertus (*Anal. I*, p. 60) coniecit numina; mihi scriendum videtur pro universos homines: universos omnes (cf. *Apul. Met. VII*, p. 454. *Oud. Cic. N. D. I*, 15) et post haec verba deos ab epitomatore aut ab aliquo librario omissum e sequenti enuntiatione restituendum. Id certe intellegitur carmina Saliorum axamenta appellata esse, quod non in unum tantum deum composita erant, sed nomina omnium deorum continebant, ita ut aliquot versus in singula deinceps numina decantati ab his ipsis appellarentur velut Ianuli a Iano, Iunonii a Junone, Minervii a Minerva. Hinc vero deductum me video ad locos grammaticorum inquirendos ubi de indigitando et indigitamentis locuntur, *Fest. p. 114: Indigitanto, imprecanto...indigitamenta, incantamenta vel indicia, Serv. Verg. Aen. XII, 794: Alii patrios deos indigetes dici debere tradunt, alii ab invocatione indigetes dictos volunt, quod indigeto est precor et invoco. Serv. Verg. Georg. I, 21: nomina haec numinum*

in indigamentis inveniuntur, i. e. libris pontificalibus, qui et nomina deorum et rationes nominum continent, quae etiam Varro dicit. *Macr. Sat.* I, 17: Namque virgines Vestales indigetant: Apollo Medice, Apollo Paean. *Macr. I, 12:* Auctor est Cornelius Labeo huic Maiae aedem Kalendis Maiis dedicatam sub nomine Bonae deae —, hanc eandem Bonam deam Faunamque et Opem et Fatuam pontificum libris indigetari. *Gell. XIII, 22. 1:* Comprecationes deum immortalium, quae ritu Romano fiunt, expositae sunt in libris sacerdotum populi Romani et in plerisque antiquis orationibus. In iis scriptum est: Luam Saturni, Salaciam Neptuni, Horam Quirini, Iurites Quirini, Maiam Volcani, Heriem Iunonis, Molas Martis, Nerienemque Martis. *Macr. I, 9:* In sacris quoque invocamus Ianum geminum, Ianum patrem, Ianum Iunonium, Ianum Consivium, Ianum Quirinum, Ianum Patulcium et Clusivium.

Comparatis his locis inter se intellegitur, verbo indigitare auctoribus grammaticis antiquis sensum precandi, seu imprecandi seu invocandi subesse et indigitamenta esse invocationes seu incantamenta, quae nomina deorum et rationes nominum continent. Qua de re recte animadvertis Ambroschius (*Religionsb. d. Römer*, p. 35) vocativos Apollo medice, Apollo Paean Macrobi loco post verbum indigetant positos certissimum esse argumentum, invocandi notionem propriam verbo indigitare subesse. Quamobrem indigitare a verbo nostro agere (dicere) derivandum esse sic statuo. Ut a verbo egere compositionem indigere vocali u anticae praepositionis indu elisa, sic ab agere prodiit indigere, i. e. invocare, ab hoc deinde adiectivum verbale passivae significationis id - igi - tus, i. e. invocatus formatum videtur. Ut autem in vetustiore lingua Latina participia damnatus, sanatus, mansuetus vocali o extrema stirpis recisa, qua declinationis classis indicatur, mutilata sunt in damnas, sanas, mansues, sic indigetus abiit in indiges, unde plurales nominativi orti sunt damnates, sanates, mansuetes, indigetes. A stirpe indigeto- vel indiget- deinde novum verbum deductum est indigitare sive indigitare, ab hoc nomen indigitamentum. Eadem enim ratione qua ab obsoleto verbo indigere, i. e. invocare, ortum est indigitare magnum numerum verborum in lingua Latina prodiisse constat. Sic ut paucis utar exemplis, a simplicibus verbis agere, latere, crepare, cubare, domare, sonare, clamare, imperare, rogare, volare primum formatae sunt stirpes adiectivorum verbalium agito-, latito-, crepito-, cubito-, domito-, sonito-, clamito-, imperito-, rogito-, volito-, ab his vocali a adfixa ad stirpes verba agitare, latitare, crepitare, cubitare, domitare, sonitare, clamitare, imperitare.

Ceterum formae indigetes indigitare antiquo more per e scribuntur ut mereto (*Inscr. R. Neap. Momms. 5567. 5483. tit. Scipion. Barb. f. Epigr. Soran. Ritschl. Monum. epigr. tria*) mereta (*tab. Aletr. Ritsch. l. c.*) Aacetiai (*Ritsch. fictil. litt. Latin. antiq. p. 28*) Condetius (*Or. 1433*) apparitoris (*Annal. d. Institut. 1838. p. 202*) habetabatur (*l. Iul. mun.*) sineto (*l. c.*) intercedeto (*l. c.*)

Inter verba Latina, de quibus, egimus a stirpe ah-, ag- deducenda ad agium, nego, axare, axamenta, indiges, indigetare, indigitamenta proxime accedit ad agium ad similitudinem Umbrici verbi at-ah-us, quod servavit aspiratam h radicis ut Latine vaho, vehiculum, vehemens, Umbrice Vehies, Vehier, Vehier (*AK. Umbr. Sprd. II*, p. 422) et vocalem a integrum habet, id quod supra de composito Volsco ar-patitu monuimus. Praepositio autem at verbi compositi at-ah-us ab ati (trans) linguae Sanscritae deducenda (*AK. Umbr. Sprd. I*, p. 153) non est mirum quod t consonantem servavit. Etenim in vetustiore lingua Umbrica Volscae maxime propinqua medium d omnino nec scriptam nec pronuntiatam esse constat, atque etiam apud recentiores Umbros rarissime d media inter duas vocales exhibita reperitur (*AK. Umbr. Sprd. I*, p. 83). Ne in Latinis quidem litteris illud t genuinum praepositionis at plane obsoletum est, quoniam et inscriptiones et optimi libri manu scripti ut Mediceus Vergilianus formam at servaverunt (*Inscr. R. Neap. Momms. 6058 cf. Wagner, Orthogr. Vergil.*). Quodsi Latinum verbum a-ire est dicere, ad-ag-ium proprie ad-dictum, Volsce at-ah-ust idem valet atque ad-dixerit, ad-firmaverit et contrarium est Latino negare. Ab hoc verbo igitur pendet accusativus bim nostri tituli, unde sequitur verba: se bim atahus significare: si bovem addixerit seu voverit.

Etiam in sacris Umbrorum eiusdem stirpis verbum ut Volscum atahus vovendi sensum comprehendere, conlatis hisce tabularum Iguvinarum formulis demonstrari poterit:

<i>Tab. Ig. IIb, 1:</i>	sim, kaprum upetu, i. e. suem, caprum -ito.
<i>IIb, 8:</i>	si upetu, suem -ito.
<i>IIb, 11:</i>	kapru .. upetu e caprum -ito.
<i>III, 22:</i>	sakre upetu sacram -ito.
<i>III, 26:</i>	uvem .. upetu ovem -ito.
<i>Va, 6:</i>	sakreu upetu sacria -ito.
<i>III, 10:</i>	sakre uvem .. upetuta sacram ovem -itote.

Ad has igitur formulas cognoscendas recte interpretes (*AK. Umbr. Sprd. II*, p. 318) animadverterunt, actionem, quae significetur imperativo upetu, praecedere caeremoniis ritibusque ipsius sacrificii, unde conicere liceat, vovendi notionem verbo illi subesse. Tamen ne upetu Latino obitu respondere dicam, id me maxime movet, quod non video, qui fieri possit, ut obire hostiam significet vovere hostiam. Alias igitur illius verbi origines indagandas duxi. Qua in re maxime usu venit, quod constat gutturales k et h inter duas vocales positas apud Umbros sequente i vocali vel semivocali dissolutas esse in imperativis ar-ve-itu, ku-ve-itu, de-itu, fe-itu, iortis ex ar-veh-itu, ku-veh-itu, dik-itu, fak-itu, in coniunctivo fe-ia pro faç-ia, in adiectivo pe-iu-, quod Latino piceo- respondere demonstratum est (*AK. Umbr. Sprd. I*, p. 74). Quod quidem eadem ratione factum esse appareret ut in Oscis vocibus ma-is, ma-imas, i. e. magis, maximae, in Umbrica me-stru, i. e. magistro, in Latinis ma-iор, Ma-ia, Ma-ius a stirpe mah- seu mag- ortis nec non in verbis Latinis a-io, me-io ex agio, mig-io excisa gutturali immutatis. Quodsi pro imperativo fe-itu e fak-itu orto saepius

scriptum invenimus fe-tu in tabulis Iguvinis (*AK. Umbr. Sprd.* II, p. 406) et pro ve-itu e vehitu correpto legimus ve-tu in hac formula:

tab. Ig. Ib, 29: vesklu vetu atru alfu.

vaskula vehito atra alba.

(cf. *tab. Ig. Ib, 37. AK. Umbr. Sprd.* II, p. 285), non est dubium, quin imperativi formae up-e-tu, up-e-tuta coalescere potuerint e plenioribus genuinisque up-ah-itu, up-ah-ituta. Itaque hos imperativos eiusdem stirpis ah- existimo, unde Volsce at-ah-us, Latine aio, adagium, nego, axamenta, indigetes, indigitamenta prodiisse demonstratum est. Eadem nempe ratione coniunctae sunt formae Umbricae fetu et fakust ut Umbrica up-e-tu et Volsca at-ah-us, nisi quod praepositio in his diversa est. Praepositio vero up- Umbrici verbi eandem habet vim, quam in Latinorum compositorum ob-sequi, of-fero, ob-edio, ob-tempore praepositione ob- inesse animadvertismus, ut significet eam actionem, quae verbo simplici indicatur, in commodum seu favorem alicuius fieri. Ut igitur Latine dicebatur **sacrum offerre deo**, sic Umbrice sacre upetu, atque ut illud idem valebat ac **sacrum facere**, ita hoc nihil aliud ac **sacrum vovito seu dedicato**. Nec mirum, si Latine afferre alicui aliquid saepe re idem valet atque offerre alicui aliquid, Umbros stirpe compositi up-ah-, Volscos stirpe compositi at-ah- sensum vovendi vel dedicandi expressisse. Comparato vero Umbrico imperativo fetu cum infinitivo fa-ciū-, facile mihi persuaserim etiam imperativo upetu infinitivum upahiuv- vel upaiu- respondisse, ita ut in praesenti tempore stirps ah- vocali i adfixa amplificata sit; item conlatis Umbricis formis fakust et fa-ciū e Volsca forma futuri secundi atahus coniecerim atahiom vel ataiom sonuisse infinitivum Volsci verbi, addita ad stirpem ah- vocali i ut in Latino aire. Quamquam fatendum est fieri potuisse, ut formae infinitivorum atahom, upahu apud Volscos et Umbros in usu fuerint. Ab his vero verbis imperativos aitu, aituta secernendos et a stirpe verbi agere quod significat facere repetendos, his formulis tabularum Iguvinarum conlatis perspicitur:

tab. Ig. VIIa 40. 45: capif sacra aitu.

capides sacras agito.

VIIb. 18: capif purdita dupla aito, sacra dupla aita.

capides porrectas duplas agito, sacras duplas agito.

Ib. 37: kapi sakra aitu, vesklu vetu.

capides sacras agito, vascula vehito.

Ib. 29: kapi sakra aitu, vesklu vetu atru, alfu.

capides sacras agito, vascula vehito atra, alba.

III, 13, 14: kletra fertuta, aituta.

-am fertote, agitote.

(*AK. Umbr. Sprd.* II, 207, 368) Cum in his formulis ab imperativis aitu aituta pendeat nomen **capif**, quod **vas sacrum** significet, et **kletra**, quo et ipso **sacra** qualiscumque supellex indicitur, nequaquam potest sensus imperativorum illorum esse dicio, dicitote. Quin etiam

comparatis verbis **kapi-aitu**, **vesklu vetu**, i.e. capides agito, vascula vehito et fertuta, aituta, i.e. fertote, agitote, in priore formula imperativum aitu ut synonymum sequentis vetu, in altera aituta ut praecedentis fertuta synonymum exhibitum esse apparent, sicut in lingua Latina sensu affines sunt verba agere, vehere, ferre.

Ergo in rebus sacris complurium Italiae populorum verba quaedam a stirpe ah- derivata locum tenuisse propriamque suam significationem servasse videmus, apud Latinos axamenta et indigamenta, apud Umbros upetu, upetuta, i.e. vovito, vovitote, apud Volscos atahus, i.e. voverit, sicut compositum eiusdem stirpis svāhā in sacrificiis Indorum benedicendi sensum habuisse docuit vir doctissimus A. F. Pottius (*Etym. Forsch.* I, 281).

Iam igitur quaerendum est, quid significet alter accusativus esaristrom, qui ab eodem verbo atahus pendeat. Quod quo melius fiat, primum adhibendae sunt Umbrorum quaedam formulae in tabulis Iguvinis scriptae. Sunt vero haec:

tab. Ig. III, 1: esunu fua, i.e. sacrificium fiat.

III, 14: esunu futu, i.e. sacrificium fito.

Vib 47: esunu feito, i.e. sacrificium facito.

Va 6: ri esune kuraia, prehabia.

rei sacrae curet, praebeat.

(*AK. Umbr. Sprd.* II, p. 42. 235f. 237. 315f. 366. 369). E quibus appareat es-unu nomen esse adiectivum, quod etiam substantivi vim sibi vindicare possit, ut Latine divinum facere dicitur pro rem divinam facere, idque eisdem syllabis -uno adfixis a radice es- derivatum esse ut numinis Volsci nomen Ves-une a stirpe ves- quae inest in nomine Ves-tae. Eiusdem radicis prolem Volscum esaristrom arbitror comparatis praesertim his Suetonii verbis, Oct. 97: futurumque ut inter deos referretur, quod aesar, id est reliqua pars de Caesaris nomine Etrusca lingua deus vocaretur. Quid? Nonne putabimus Etruscum vocabulum aes-ar, quod deum significet, et Umbricum es-unu, quod divini sensum comprehendat, ab eadem stirpe aes- prodiiise. Cum his qui comparaverit Aes-er-niam Samnitium oppidum, Aesaris fluminis Bruttiorum nomen, facere non poterit, quin concedat etiam in Oscorum lingua vocem aes-ar exstisset. Neque alienum videtur ab eadem stirpe nomen Aes-is Umbrorum fluminis. Atque etiam in lingua Sabinorum eiusdem stirpis vocabulum fuisse conspicitur e verbis tabulae aeneae Rapinensis, *Momms. Unt. Dial. tab. XIV*, p. 336: aisos pacris totai Maroucailixs, quae significare sacrificii paciferi civitati Marruviae leges (vel lex), certis argumentis mox alio loco me demonstraturum esse spero. Est autem genitivi aisos stirps aisut apud Umbros genitivus trifor (pro trifos) prodit a stirpe trifu-, i.e. tribu-. Et quoniam in Umbrorum lingua diphthongus ai in e coalescere solebat, factum est, ut Sabinorum stirps aisut Umbrice esu- sonaret. Ab hac vero stirpe esu formatum est nomen adiectivum es-unu in tabulis Iguvinis scriptum. Atque haec quidem verba Italica ais-os et esu-nu derivanda videntur a radice iš-, quae lingua Sanscrita optare vel cupere significat. Ut enim ab eiusdem linguae radice uš- (urere) aurora, Auseli, Aurelii, Auster, aurum prodierunt vocali stirpis u ampli-

ficata atque intenta pleniore vocali *a* praefixa, sic a radice *iś-* Sabinum *aisu* ortum, ita ut eadem vocali *a* addita radicis vocalis angeretur atque efferetur (id quod Indorum Grammatici, Vriddhi vocare solent). Ut igitur a radice *prac-*, quae veterum Indorum lingua interrogare significat, Latine *preces* et *precari* prodierunt, sic optandi et cupiendi notio, quae subest radici *iś-*, in rebus sacris Sabinorum et Umbrorum ita servata est, ut *aisu-* et *esu-* proprie optatum a deis, hoc est *preces* seu *comprecationes* deorum indicet, inde in ampliorem sacrificii sensum abierit. Sicut vero ab Umbrico *esu* nomen adiectivum *es-unu* derivatum est rem qualemcumque significans quae ad sacra pertinet, sic apud Volscos a stirpe *es-* adiectivum *es-ar-istrom* prodiise videtur. Quod quidem ita factum esse crediderim, ut apud Volscos primum nomen *es-ar* oriretur, quod et Etruscorum lingua *aes-ar* perhibetur et in Samnitium *Aes-er-nia* inest. A nomine *es-ar* deinde *es-ar-istrom* ita formatum existimo ut a stirpibus *sin-*, *mag-*, *min-* Latine *sin-istro-*, *mag-istro-*, *min-istro-*, Oscorum lingua *min-stro* (*tab. Bant.* 12, 27). Quae quidem vocum formae duplarem comparativi notam pree se ferunt, alteram *-is*, quippe quae e Sanscritica *-ījāns*, *-ījas*, Latina *-ios*, *-ior*, *-ius* contracta etiam in adverbii satis, *magis*, *potis*, *nimirum*, *ultis*, *cis* appareat (*Zeitschr. f. vergl. Sprachf.* III, 277f.), alteram *-tro*, quam nominibus Volscis *Veles-trom* et Ece-tria subesse supra demonstratum est. Quodsi *esar* apud Volscos aut deum precibus *invocatum* significat, sicut apud Romanos deus *indiges* appellabatur, quod *invocabatur*, aut *comprecationem* dei seu *sacrificium*, facile accedit, ut *esaristrom* vocaretur res qualiscumque ad deum aut ad *sacrum* pertinens. Quae qualis fuerit, eo perspicitur, quod ab eodem verbo *atahus*, i. e. *vo-verit* et *esaristrom* pendet et bim, unde sequitur *esaristrom* eandem fere seu semilem rem deis devotam comprehendere ac *bovem*. Itaque non dubito, quin *esaristrom* significet sacram hostiam seu victimam.

Apud Festum legimus p. 371. *Victimam* Aelius Stilo ait esse vitulum ob eius *vigorem* apud Cornelium Frontonem de differ. fin. *victima maior est, hostia minor*; unde apparet vocabulum *vic-tima-m* a stirpe *vig-*, quae inest in *vig-or*, *vig-ere*, derivatum esse adfixa superlativi nota, quam exhibent *op-timu-s*, *ci-timu-s*, *in-timu-s*, *ex-timu-s*, *pos-tumu-s*, *ul-timu-s*, *dex-timus*, *sinis-timu-s*, *sollis-timu-s* (*Zeitschr. f. vergl. Sprachf.* V, 246). *Vic-tima* igitur significat hostiam validissimam seu *opi-mam*. Praeterea haec quoque Festi verba conferenda sunt, p. 318: *Sacrima est, ut . . . et Cloatius dicunt, mustum inditum in amphoram Meditrinalibus sacrificii causa pro vineis vasisque et vino, quae quasi sacra ea re fiunt: quod Libero fit, ut praemetium, quod Cereri. Quo loco quae legitur vox *sacrima* formata est a stirpe *sacro-adfixa* syllaba *-mo*, qua in Latinis nominibus *pri-mu-s*, *bru-ma*, *sum-mu-s*, in Osco *pos-mo-m* (*tab. Bant.* 16) in Umbrico *pru-mu-m*, *pro-mo-m* superlativus indicatur (*AK. Umbr. Sprd.* I, 130. *Zeitschr. f. vergl. Sprf.* V, 243). Itaque *sacrima* proprie significat *sacerrima* seu *valde sacra*, sed de musto Libero oblato intellegitur. Ut igitur *vic-tima* et *sacr-im-a* proprie sunt adiectiva ad res *sacras* pertinentia, quorum notio aucta et intenta est adfixis ad stirpem*

syllabis, quae comparationis gradum indicant, sic Volscum esar-is-tro-m duabus comparativi notis -is et -tro ad stirpem es-ar- subiunctis proprie est magis divinum seu magis sacrum et de hostia maiore seu victima Volsorum numini offerenda intellegendum videtur. Quaenam ratione apud Romanos bos deis oblata victima appellabatur, eadem apud Volscos bim in tabula Veliterna esaristrom dici apparet; et Veliterni Decluno deo hostia maiore seu victima sacra facere solebant ut Iguvini Iovi Grabovio, Marti Grabovio, Vofiono Grabovio ante portas oppidi sui tribus bubus oblatis. Restat denique ut extremam tituli nostri enuntiationem conditionalem explicemus.

SE PIS TOTIKV COVEHRIV SEPV. Adiectivum totiku idem atque Oscum tovtíks, toutico, touticom, Umbricum totko-, todco- formatam esse a nomine substantivo Oscorum toutes- Sabinorum toutes-, Umbrorum tuta-, tota-, idque ipsum prodiisse a radice tov-, cui crescendi notio subsit, ab aliis accurate demonstratum videtur (cf. G. Curtius, Zeitschr. f. Alterthw. 1847, p. 422. AK. Umbr. Sprd. II, p. 48 f. 420 f.) Quodsi toutes significat civitatem seu populum urbis, Mommsenius totiku recte vertit publico.

Quod sequitur vocabulum covehriu Mommsenius cum aliis idem esse vult ac Latinum curia quod cum Pottio e con-viria contractum esse censem. At enim vereor, ne haec tria verba covehriu, vir, curia omnino sint diversae originis. Namque primum ne curia a con-viria derinetur, obstare mihi videtur forma vocis Cusianes teste Florentino Varronis codice in carminibus Saliaribus scripta, ubi Varro exempla profert e vetustissimis litterarum monumentis Romanorum, quibus demonstret antiquitus in multis verbis s pro r dictum esse (L. L. VII, 26. M.). Ex hac vero scriptione Cusianes quae aut Curiones aut Curiani explicari potest, colligitur, ni fallor, antiquiorem formam vocis curia fuisse cusia, unde sequitur nequaquam e conviria contractam esse, quoniam vocabuli vir littera r genuina sit. Itaque cusia ortum videtur e co-vis-ia, ut in altera compositi parte insit vox eiusdem stirpis, a qua prodiit nomen Ves-tae deae, quod dudum constat a radice vas- oriundum, quae in lingua Sanscrita habitare seu commorari significat. Co-vis-ia autem electa i vocali coaluit in cusia ut providens in prudens, decu-viria, centu-viria in decuria, centuria.

Curia igitur, si modo recte a cusia pro co-visia repetita est vox, Latine idem valet ac Graece συνοικία, quam quidem significationem ad rem aptissimam esse facile concedet, quicunque origines veterum curiarum, qualis fuerint apud Romanos, accurate perpenderit. Praeterea hunc habeo scrupulum, cur Volscum compositum covehriu a stirpe viro- deducendum esse mihi persuadere non possim. Etenim ut omittam, quod nullo certo exemplo probari potest Volscos littera h in scribendo usos esse, ut longam syllabam indicarent, primum in Umbrorum monumentis nusquam vihro seu veihro, sed semper viro, aut rarius veiro scriptum est. Deinde ut lingua Umbrica Latinae similitudinem secuta decu-viria contractum est in dekuria (tekuria), sic etiam apud Volscos covehriu crederes in cuhriu contractum esse, si revera haec vox stirpem viro- contineret. Cuius originem ut demonstrem, non alienum erit mentionem facere vocum cum praepositione com, cum compositarum, quibus multitudinis alicius seu populi seu senatus conventus

Latine et Osce significatur. Primum igitur Latine *contio* correptum est e *conventio*, id quod e forma *co-ventionis* senatusconsulti de Baccanalibus perspicitur, deinde *con-cilium* continere arbitror stirpem cal- verbi calēre obsoleti, unde Kalendae gerundum prodiit, eiusdem vocandi significationis ut *calare*, unde originem traxerunt comitia calata (*Gell. XV, 27*), curia calabra (*Varro L. L. V, 13*) *calatio*, *calator*, *nomenclator*, *classis procincta* (*Fest. p. 56*), *clamare*, *lamentum*. De *com-i-tium* et *con-ven-tus* in vulgus constat. Contionem porro civium Pompeianorum lingua Osca memoratam invenimus in titulo, *Momms. Unt. Dial. tab. X, 24*: *kom-ben-nieis tanginud*, id est *conventus scito*. Habemus hic genetivum stirpis *kom-ben-n-i-o-* assimilatione ortae e *kom-ben-t'-io* ad stirpem *ben-* primum syllaba *-to*, deinde vocis particula *-io* adfixa. Alio nomine *conuentum* appellatum invenimus in lapide Pompeiano, quem mutilatum *Mommsenius* sic exhibet, tab. X, 25. p. 483:

... PVRIIS . MA

... VAÍSSTVR

... MPARAKKIEIS

... NGIN . AAMANAFFED,

et suppletis optime verbis quāisstur komparakkieis tanginud vertit: ... *Purius Magii* (?) fil. *quaestor conventus iussu perfecit*. Etenim re vera kom-parakkieis significare *conventus* hac ratione comprobatur. Nempe stirps verbi kom-parak-k-i-o-, assimilatione mutata est e kom-parak-t'-io-, primum syllaba *-to*, quae est participii seu adiectivi verbalis nota, deinde vocis particula *-io* ad stirpem simplicem parak- adfixa, ut kom-ben-n-i-o- e kom-ben-t'-io- ortum esse demonstravimus. Haec vero stirps parak- amplificata est e prak-, vocali *a* quae subsequitur liquidae *r*, cum praepostero pronuntiaretur, ante *r* inserta, ut apud Oscos in usu fuisse docent formae potereípid i. e. in utroque, potorospid, i. e. utrique, poturumpid, i. e. utrorumque, paterei, i. e. patri, sakoro, i. e. sacra, sakarater, i. e. sacratur vel *sacrator*, sakaraklom, teforam i. e. Umbrice tefrom aliae, quas collegit et interpretatus est Kirchhoffius (*Zeitschr. f. vergl. Sprachf. I, 41*). Stirpem vero nudam et simplicem prak- cognatam censeo radici praé-, quae in lingua Sanscrita interrogare significat, eaque inest in Latinis vocibus *proc-us*, *proc-are*, *proc-ulare*, quibus omnibus sensum poscendi vel vocandi subesse, Verrini Flaccus ex antiquis litterarum monumentis docuit (*Fest. p. 224. 225. 249*) nec non vocabulis *prec-es* et *prec-ari* et ab his quae derivantur. Itaque Osce komparakkieis significat *contionem convocatam*, sicut apud Romanos antiquitus *comitia calata* i. e. *vocata* dicebantur.

Quodsi sunt varia apud Latinos et Oscos nomina, quibus contiones vel concilia appellantur, etiam Volscis proprium eiusmodi nomen fuisse non mirum videtur. Itaque in Volsco co-veh-riu inesse existimo stirpem Latini veh-ere, Umbrici Veh-iies, Veh-ieir, Veh-ier (*AK Umbr. Sprd. p. 422*) ad stirpem veh- primum syllaca-ro, deinde vocis particula *-io* subiuncta. Sic enim formata videmus nomina Italica *Sac-r-iu-s*, *Mac-r-iu-s*, *Dec-r-iu-s*, *Ag-r-iu-s*

Lit-r-iu-s, Sit-r-iu-s, Cap-r-iu-s, Ap-r-ia, Rub-r-iu-s, Ruf-r-iu-s alia, a quibus genere tantum neutro verisimile est co-veh-r-iu differre. In -io enim exeunt etiam Oscarum vocum stirpes kombenn-io- et komparakk-io- quibus contiones indicari demonstratum est. Quodsi neutrius generis snt Latine con-cil-io-, com-it-io-, consentaneum est etiam Volsce co-veh-r-io-, Osce kom-ben-n-io, kom-parak-k-io- eodem fuisse genere Ceterum ut a verborum radicibus lac-, lib-, ten- (*cf. ταν-ώ*) adiectivorum stirpes lac-ero-, lib-ero-, ten-ero- passivam suscepunt significationem, sic in Volsca lingua adiectivum veh-ero- seu elisa e vocali veh-ro formari poterat, cuius deinde sensus passivus mansit in co-veh-r-iu. Quem ut accuratius definiamus, rationem habeamus Umbrici compositi ku-veitu i. e. con-vehito, qua quidem in forma eadem ratione consonantem n praepositonis kun, con omissam desideramus ut in Umbrica ku-vertu, in Volsca co-vehriu, in Latina senatusconsulti de Baccanalibus co-ventionid. Quodsi comparaveris Umbricas formulas: mani kuveitu, i. e. manu convehito, prosetur ficalm arsveitu, i. e. prosectis ficalm advehito (*AK. Umbr. Sprd. II, p. 386. 174*) cum Kirchhoffio imperativum arsveitu appetet interpretandum esse admoveto, adhibito, alteram vero formulam manikuveitu: manu colligo seu coigit. In hunc igitur sensum cum Umbricum compositum kuveitu expressum sit, facile intellegitur, quomodo Volscum covehriu, si modo ab eadem stirpe veh- prodiit, multitudinem collectam seu coactam significare possit.

Adiectivum vero, quod appositum ad nomen substantivum covehriu in tabula nostra videmus, sepu Momsenius recte comparavit cum Oscorum sibus in his tabulae Bantinae formulis scripto:

v. 5: deivatud sibus comenei perum dolum mallom.

iurato sciens in comitio sine dolo malo.

v. 14: sibus perum dolum mallom.

sciens sine dolo malo.

(*Kirchh. Stadtr. v. Bantia p. 23 f. 44. 48. 51 f. 56.*)

Ipsius autem adiectivi Osci sensum Grotfendius (*Goett. Gel. Anz. 1847. 1, p. 536*) cognovit adhibitis vocibus Plautinis et Naevianis sibus, i. e. callidus, acutus, et persibus, i. e. percallidus, peracutus (*Fest. p. 217. 336. M. Varro, L. L. VII, 107. M.*) Itaque tota enuntiatio conditionalis tabulae Veliternae: sepis toticu covehriu sepu vertenda est: si quis publico conventu sciente; ad eam vero supplenda est idem verbum atahus, i. e. voverit, quod est praecedentium enuntiationum conditionalium.

Similes vero formulas ac toticu covehriu sepu etiam in Latinis dedicationum legibus scriptas habemus. Sic in lege collegi Aesculapi et Hygiae, *Orell. 2417*: hoc decretum ordinis (ostro) placuit in conventu pleno. *Orell. 2512*: Plisthenes Leophronis cerycibus et populo praesentibus ante porticum xylolychnum Proserpinae *Liv. IV, 20*: Dictator coronam auream ex publica pecunia populi iussu in Capitolio Iovi donum posuit. *Liv. II, 27*: dedicatio iussu populi data. Praecipue autem hic adhibendus est locus iam supra laudatus Suetonii, *Oct. 1*: Gentem Octaviam Velitris praecipuam olim fuisse multa declarant. Nam et vicus celeberrima parte

oppidi iam pridem Octavius vocabatur, et ostendebatur ara Octavio consecrata, qui bello dux finitimo, cum forte Marti rem divinam faceret, nuntiata repente hostis incursione, semicruda exta rapta foco prosecuit, atque ita proelium ingressus victor rediit. Decretum etiam publicum exstabat, quo cavebatur, ut in posterum quoque simili modo exta Marti redderentur, reliquiae ad Octavios referrentur. Ad haec Suetonii verba comparemus textum tituli nostri Veliterni Latinis verbis expressum: Divo Decluno statum. Si quis voverit, quisquis Veliternorum faciat, victimam, si bovem, ad aram vasculis, vino accedito; si quis publico conventu sciente, ferre piuum esto. Ec. Se. f. Cosutius, Ma. Ca. f. Tafanius medices statuerunt.

Apud Suetonium igitur Marti, in tabula nostra Divo Decluno sacra facta esse Velitris edocemur, illic ab una gente Veliternorum Octavia, hic a quolibet Veliternorum; neque quemquam fugere potest idem valere apud Suetonium decretum publicum atque in titulo Veliterno publico conventu sciente. Quodsi a summis magistratibus Veliternorum legem sacrificii Divo Decluno e populi scito ferendi statutam invenimus, inde colligitur pro populo Veliternorum a privatis illud offerri, cum Marti pro eodem populo a gente Octavia ex decreto publico sacra fiant.

Alterum praeter aes Veliternum exstat monumentum linguae Volscae tabula aenea Antini reperta, cuius titulum sic reddidit Mommsenins:

PA . VI . PACVIES . MEDIS

VESVNE DVNOM . DED

CA . CVMNIOS CETVR.

Cuius prima verba: Pa. Vi. Pacvies medis Mommsenius vertit: **Pacvius Vibii filius Pacvius medix.** Videmus igitur formam nominis **Pacvies** cum nominibus tabulae Veliternae **Cosuties** et **Tafanies** consentire, et nominativum **medis** accedere ad similitudinem Osci **meddis**, de quo iam supra mentionem fecimus. Idem Mommsenius cum Aufrechtio (*Umbr. Sprd. I, p. 102. not.*) Ves-una dativum interpretatur nominativi Ves-una ab eadem radice **vasoriandi**, unde Ves-ta prodiit. Eundem vero dativum deae eiusdem nominis **Vesune** scriptum legimus et in quarta tabula Umbrorum Iguvina (*AK. Umbr. Sprd. I, 365*) et in antiquissimo Marsorum titulo hand procul a Milionia reperto (*Momms. Unt. Dial. tab. XV, p. 345*). Porro accusativi forma **dunom** o habet in syllaba finali ut esaristrom tabulae Veliternae et in antiquissimis monumentis Latina **donom** (*Ritsch. fictil. litt. Lat. ant. p. 27. p. 26. Or. 1506. 1421. 4309, 5. Grut. 52, 14*) dono (*Inscr. R. Neap. 5567. 5483*) nec non Osca **donom** (*Momms. Unt. Dial. tab. VIII, 7*). Contra stirpis syllaba Volsci vocabuli **dunom** exhibet u vocalem pro Latino et Osco o ut in ablativorum exitu toticū, cohvehriū, sīpū.

Scriptionem **DED CA** in tabula Antinensi repertam in formam verbi **dedca-** coniunge ndam et **dedicat** explicandam esse Mommsenius existimat. A cuius sententia non habeo, quod discedendum putem. Primum enim **dedca-** non breviatam scripturam esse amplioris verbi formae inde

colligitur, quod et cetera vocabula tituli nostri exceptis praenominibus integrâ scripta sunt, et largum superest spatum in tabula a litteris vacuum. Ne in Veliterno quidem aere ullum reperitur breviatae scripturae vestigium praeter initiales praenominum litteras. Tum non desunt exempla et Umbriae et Latinae linguae, quibus comprobatur, consonantem *t* finalem, notam tertiae personae indicativi numero singulari, abiectam esse. Sic enim verba in aenea statua Tudertana quae leguntur Umbrica r̄ unum rere scripta esse pro dunum dēdē, recte viderunt interpres monumtorum Umbricorum (*AK. Umbr. Sprd.* II, 392). Quamobrem nequaquam cum Ebelio (*Zeitschr. f. vergl. Sprachf.* VI, 24) ab eorundem virorum doctorum sententia dissentendum ratus sum, qui Umbricam formam habet indicativi esse pro habet existimaverunt (*Umbr. Sprd.* I, p. 140), praesertim cum ne a Latina quidem lingua eiusdem generis formae alienae sint. Sic titulus Pisaurensis, quem inter antiquissima linguae Latinae monumenta habendam esse constat, servavit formam dēdē- (*Ritschl. sctil. litt. Lat. an.* p. 27) pro dedit et in lapidibus extremae imperii Romani aetatis leguntur formae vixse (*Fleetwood, Syllog. Inscr. Mon. Christ.* p. 366, 4) pro vixit, fece (l. c. p. 455, 4) pro fecit, quiesce (*Steiner, Altchristl. Inschr.* 56) pro quiescit. Itaque nihil est causae, quin linguam Volscam ad similitudinem Umbriae et Latinae consonantem *t* finalem tertiae personae dēdē- abiecisse putemus, quippe quae etiam tertiam personam coniunctivi fasia et futuri secundi atahus eadem ratione mutilaverit.

De duabus extremis verbis tituli Antinensis velim me plura habere, quae ad interpretum conjecturas aut confirmandas aut refellendas adferre possim. Primum igitur quod coniecit Mommsenius accusativo pluralis cumnios significari vasa qualiacumque sacra, id quidem nescio an confirmari possit adhibito Umbrico verbo kumne in hac tabularum Iguvinarum formula:

Ib, 41: i ve ka . . . t u set u s u p e r k u m n e a ḡ f e r t u r . . . i u v e n c a m . . . t o r r e t o s u p e r — m i n e a d f e r t o r.

(*AK. Umbr. Sprd.* I, 295. 296.), ubi interpres kumne ablativum interpretantur a nominativo kumen ut nomen a nomen. Conspicitur autem ex conexu verborum, eum sacerdotem, qui apud Iguvinos a ḡ fertur vocatur a sacris adferendis, iuber illa formula iuvencam torrere supposita supellectili qualiacumque in sacris faciendis usitata. Ab hac vero Umbrici nominis forma kumen addita vocis particula -io et elisa vocali e ut in ablativo Umbrico kumne deducendum videtur Volscum cumn-i-o-s. Ceterum Umbrice kumne e kup-men seu kub-men ortum crediderim eadem syllaba ad radicem verbi adfixa atque in nu-men, i. e. no-men, ita ut ku-men ab eadem stirpe prodierit unde in lingua Sanscrita kumbha, i. e. urna, vas aquarium, modius (*Pott. Etym. Forsch.* I, 84), Graece κύμβη, κύμβος, κύπη, κύπελλος, Latine cupa, cumba (*Fest. p. 50*). Quae si est vera verbi Volsci cumnios origo, recte Mommsenium de sensu eius iudicasse putabimus.

De extrema denique tituli nostri voce cetur non abhorret Mommsenius, quin Secchio assentiatur, qui quatuor interpretatus est (*Bullet. del. Inst. arch.* 1846. p. 15), quamvis pro Volscopis, cum quo Oscae et Umbriae eiusdem pronominis formae plane congruant, ad similitudinem Osci petora, Umbrici petur etiam apud Volscos petur non cetur expectaveris.

Tamen non obliiscendum est ne Latinam quidem linguam plane sibi constare in tenui consonanti *c* seu *qu* aut servanda aut cum labiali *p* permutanda. Reperiuntur enim formae quis-que et quis-p-i-am pro quis-pe-iam, *cocus*, *coquo* et *popa*, *popina* ad similitudinem Graec. *πέπτω*, *equus* et *Epona* ut Graece *ἱππος*; contra *lupus* gutturalem consonantem in labiale mutavit, ubi Graeca lingua *k* servavit in *λύκος*. Itaque etiam Volscorum pronomine *pis* non refellitur fieri potuisse, ut in eorum lingua numerale cetur sonuerit, simillimum Lithavorum *keturi*.

Ad hoc observandum est haud raro in dedicationum formulis vasa forma ac numero distincta reperiri deis dono data. Sic enim legimus apud Livium, V, 25: *Pondere ab singulis auri accepto aestimato*, ut pecuniae solverentur, crateram auream fieri placuit, quae donum Apollini Delphos portaretur. *Orell. 1301*: Iunoni Placidae Conservatrici Augustae Claudia sabbatis bullam d. d.; addidit et scyphum et tripodem Fortunae Aug. *Orell. 2473*: D. M. Primillae Aestiones; cui et sacris domesticis offere concesserat, ollas VI minores et liberis eius in avito conditorio indulxit C. Cincius Primigenius et Aelio Septimillo nepoti et Luciano. cf. *Orell. 2525*: numerum ollarum decem. Quodsi ex his dedicationum formulis edocemur, scyphos, cantharos, ollas sex, ollas decem numinibus oblata esse, non mirum est etiam Vesunae deae a medice Pacvio Antini quatuor vasa sacra dedicata esse.

Quamvis igitur non desint argumenta, quibus sustentari possint, quae priores interpretes de vocibus cunnios et cetur coniecerunt, tamen non ita de eis dictum volo, tamquam aliter interpretandi omnes vias reclusas esse pro certo habeam, aut omnem scrupulum de eis mihi evulsum esse sentiam, sed ut eis, qui hanc rem retractare voluerint, aptas praebeam ansas, quibus uti possint ad Mommisenii sententiam aut confirmandam aut infirmandam. His enim me praesto esse tota hac scriptione volui, non eis qui mirum quantum sibi sapere et critici emunctae naris esse videntur, si quaestiones nostra demum aetate susceptas de linguis Italiae sermoni Latino propinquis ac consanguineis ignorantiam fronte et superculo tegentes tricas et coniecturarum farraginem nunc quoque appellare non desistunt.

Iam vero enucleatis, quantum in me erat, monumentis Volscae linguae ad alterum illud haec disputatio transeat necesse est, ut comparata Volscorum vocalium et consonantium natura et proprietate cum Latinis, Oscis, Umbris, Sabinis statuetur, quem locum Volscorum sermo in familia, ut ita dicam, linguarum Italicarum tenuisse videatur. Quia in re cum longe maximi sit momenti quaestio de vocalibus instituenda, ab hac nescio an iure initium fiat. Et quidem in hac ipsa quaestione praeter cetera perscrutandae erunt eae vocales linguae Volscae, quas e diphthongis ortas esse comparatis Romanorum, Oscorum, Sabinorum diphthongis quibusdam optime intellegitur. Inter quas primum quaerendum videtur de vocali *e* Volscorum e diphthongo *ai* orta. Quamobrem primum ascribam recensum verborum e vetustissimis linguae Latinae monumentis depromptorum, quae per *AI* diphthongi notam scripta invenimus, appositis Oscis quibusdam vocabulis, quae in antiquioribus huius linguae titulis per litteras *A* scripta leguntur, quarum alteram *I* constat medium quendam inter *i* et *e* sonum indicasse. Cum his vero conferri poterunt per pauca Sabinorum verba, in quibus eundem diphthongum atque in Latinis inesse apparebit.

<i>Lat. ant.</i>	<i>Osc. ant.</i>	<i>Sabin.</i>
praidad, <i>t. Fur. Momms. U. D. p. 276.</i>	aifineís, <i>Momms. U. D. Gloss.</i>	aisos, <i>tab. Rap. l. c.</i>
aidiles, <i>Or. 1433. J. N. 715.</i>		
aidilis, <i>t. Scip. B. f. t. Scip. B.</i>	aídilis, <i>Cipp. Pomp. 2, 11.</i>	
<i>t. Scip. Hisp. tab. Bantin.</i>		
aire, <i>Or. 3147.</i>	aíkdafed, <i>Momms. l. c.</i>	
airid, <i>Momms. U. D. p. 366.</i>	baíteís, <i>l. c.</i>	
Kaili, <i>t. columb. Som. Momms. U. D. p. 32.</i>		
aide, <i>t. Scip. B. f.</i>		
Gnaivod, <i>t. Scip. B.</i>		
Maisio, <i>Or. 4309, 5.</i>		
Aicas., <i>I. N. 5764.</i>		
praifectura, <i>I. N. 4139.</i>		
aiquom, <i>Sc. d. Bacc.</i>	kvaísstur, <i>l. c.</i>	
quairatis, <i>t. Scip. Cn. f. Cn. n.</i>	kvaíst(u)reí, <i>l. c.</i>	
quaistores, <i>Or. 3147</i>		
Caicilio, <i>t. v. App. Rh. Mus. VIII, 288.</i>		
Aimilius, <i>Grut. 129, 2.</i>	<i>Locat. S.</i>	
<i>Gen. S.</i>	aasaí, <i>Momms. U. D. Gloss.</i>	
fameliae, <i>Ritsch. fict. Lat. p. 26.</i>	purasiaí, <i>l. c.</i>	
Aacetiae, <i>l. c. p. 17. Momms. U. D. p. 28.</i>	viaí, <i>l. c.</i>	
Lavernae, <i>Ritsch. l. c. p. 18.</i>	(e)isaí, <i>l. c.</i>	
Belonae, <i>l. c.</i>	mefiaí, <i>l. c.</i>	
Menervae, <i>Or. 1421.</i>		
pulcrai, <i>Or. 4848.</i>	<i>Dat. S.</i>	
vitai, <i>I. N. 3833.</i>	Ammaí, <i>l. c.</i>	
Dvelonae, <i>Sc. d. Bacc.</i>	Genetaí, <i>l. c.</i>	
Feroniae, <i>I. N. 5753.</i>	deivaí, <i>l. c.</i>	
coloniae, <i>I. N. 6149. 2249.</i>	Herukinaí, <i>l. c.</i>	
restinctae, <i>I. N. 2458.</i>	Kerríiaí, <i>l. c.</i>	
Appiae, <i>I. N. 3918.</i>	Patanaí, <i>l. c.</i>	
<i>Locat. S.</i>	Piístiaí, <i>l. c.</i>	
Romae, <i>Cist. Praen. Or. 2497. l. Iul. mun. Flusaí, l. c.</i>	cet.	
<i>Dat. S.</i>		
Caesiae, <i>I. N. 5825.</i>		
Dianae, <i>Or. 1456. 1446.</i>		
Clodiae, <i>I. N. 1590.</i>		
Glyceriae, <i>l. c.</i>		

<i>Lat. ant.</i>	<i>Osc. ant.</i>
<i>Dat. S.</i>	
Luciai , <i>I. N.</i> 4393.	
amantissumai , <i>I. N.</i> 3714.	
Ofilliai , <i>I. N.</i> 1956.	
Rufai , <i>t. c.</i>	
<i>Nom. Pl.</i>	<i>Nom. Pl.</i>
haice, <i>Sc. d. Bacc.</i>	paí, <i>t. c.</i>
tabelai, <i>t. c.</i>	
datai, <i>t. c.</i>	<i>Dat. Pl.</i>
eai, <i>t. Iun. mun.</i>	F(l)uusasiaís, <i>t. c.</i>
literaive, <i>t. repet. Egger. Lat. serm.</i>	Kerríais, <i>t. c.</i>
<i>vet. rell. p. 282.</i>	<i>Abl. Pl.</i>
	exais-cen, <i>t. c.</i>

Comparatis igitur verborum formis hic perscriptis primum appareat, linguam Latinam antiquorem in diphthongo *ai* integra servanda congruere cum Sabinorum sermone et ab his vetustiorem Oscorum sermonem eo tantum differe paululum, quod levi quadam pronuntiandi immutazione alteram vocalem diphthongi *ai* in sonum, qui est medius inter *i* et *e*, abire passus sit. De Romanorum autem diphthongo *ai* hoc loco notatum volo, id quod alio loco demonstrare mihi proposui, iam inde a tempore Senatusconsulti de Baccanalibus, hoc est ab aetate belli contra Antiochum gesti eius sonum ita sensim transiisse in *ae*, ut aliquam diu ambigua fuerit eius pronuntiatio, donec inde a Gracchorum fere temporibus plane *ae* sonuerit, quamvis manserint vestigia quaedam antiquae *ai* scriptio.

Cum linguae Latinae pronunciatione huius diphthongi, qualis Ciceronis et Augusti tempore erat, consentire recentiorem Oscorum linguam, qualem ex aere Bantino haud ita multum post Gracchorum aetatem inscripto (*Momms. U. D. p. 156*) cognoscimus, hisce verborum formis collatis appetat:

<i>Lat. rec.</i>	<i>Osc. rec.</i>
Bantiae ,	Bansae , <i>Momms. U. D. Gloss.</i>
praesente ,	praesentid , <i>t. c.</i>
praefectus ,	praefucus , <i>t. c.</i>
quaе ,	pae , <i>t. c.</i>

Contra in Volscorum monumentis nullum reperimus vestigium servatae diphthongi *ai* vel *ae* naturae, sed certis quibusdam verborum formis edocemur eam in vocalem *e* coaluisse ut in lingua Umbrica. Quam rationem et antiquior sermo Latinus secutus est, qualis aut in ore rusticorum Latinorum aut apud homines provinciales in finibus Umbrorum, Marsorum, Marrucinorum vulgo pronuntiabatur, et lingua vulgaris extremae imperii Romani aetatis inde a fine secundi vel ab initio tertii post Christum natum saeculi. Quod quo facilius et uno quodam modo oculorum intuitu cognoscatur, recensum exemplorum hunc iu modum dispositum ascribam.

<i>Lat. prov. et rust.</i>	<i>Lat. vulg. rec.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Volsc.</i>
<i>ant.</i>			
<i>questores, t. Mars. I. N.</i>	<i>prefectus, Or. 972.</i>	<i>mestru, AK. Umbr. esaristrom,</i>	
<i>5567. Momms. U. D.</i>	<i>(p. Ch. 238-44.)</i>	<i>Sprd. Gloss.</i>	
<i>p. 346.</i>			
<i>Pestano, num. Paest. Ritsch.</i>	<i>presente, Or. 988 (p. Ch. 246.)</i>	<i>kvestretie, l. c.</i>	
<i>fict. Lat. p. 22.</i>	<i>Cesari, Gr. 283,3.</i>	<i>kvestur, l. c.</i>	
<i>Cesula, t. Pisaur. l. c.</i>	<i>(p. Ch. 306-377.)</i>		
<i>Cecilins, Varr. L. L. VII, 96.</i>	<i>prefecto, Gr. 28, 5.</i>	<i>prehabia, l. c.</i>	
<i>Diom. p. 447. Pl.</i>	<i>(p. Ch. 364-383.)</i>	<i>pretra, l. c.</i>	
<i>pretor, l. c.</i>	<i>Cecine, l. c.</i>	<i>Prestota, l. c.</i>	
<i>edus, Varr. L. L. V, 97.</i>	<i>Or. 1097.</i>	<i>cet.</i>	
<i>Mesius, l. c. VII, 96.</i>	<i>(p. Ch. 323-360.)</i>		
	<i>Restitutes, I. N. 3902 (p. Ch. 367.)</i>		
	<i>sue, l. c.</i>	<i>se,</i>	
	<i>Gr. 1053. 9. (p. Ch. 604.)</i>	<i>sepis,</i>	
	<i>precepit, Or. 1161 (p. Ch. 528.)</i>	<i>Gen. S.</i>	
		<i>Restitutes, I. N. 6093, 12</i>	
<i>provincies, Ritsch. fict. Lat.</i>	<i>Benignes, Or. 458, d.</i>		
<i>I. N. 5567. p. 22.</i>	<i>Egnaties, I. N. 7168.</i>		
<i>Vesune, t. Marruv.</i>	<i>aeternes, Gr. 527, 5.</i>		
<i>I. N. 5483.</i>	<i>Minerbes, Or. 3384.</i>		
<i>Erinie, Momms. U. D.</i>	<i>Faustines, Or. 1617.</i>		
<i>p. 345.</i>	<i>cet.</i>	<i>Dat. S.</i>	
<i>Diane, t. Pisaus. l. c.</i>	<i>aque, I. N. 6242. (p. Ch. 212)</i>	<i>ase, l. c.</i>	
<i>p. 365. Ritsch. l. c.</i>	<i>tribunicie, Or. 1033.</i>	<i>tute, l. c.</i>	
<i>p. 28. I. N. 6310,1.</i>	<i>(p. Ch. 271.)</i>	<i>Ikuvine, l. c.</i>	
<i>Fortune, t. Tusc. Momms.</i>	<i>Amplie, I. N. 3571.</i>	<i>Trebe, l. c.</i>	
<i>l. c. p. 365.</i>	<i>(p. Ch. 387.)</i>	<i>Juvie, l. c.</i>	
	<i>Afre, l. c.</i>	<i>Prestate, l. c.</i>	
	<i>patrie, I. N. 3902.</i>	<i>tote, l. c.</i>	
	<i>(p. Ch. 367.)</i>	<i>Ijoveine, l. c.</i>	
	<i>nostre, l. c.</i>	<i>Iovie, l. c.</i>	
	<i>mire, I. N. 7152.</i>	<i>Turse, l. c.</i>	
	<i>(p. Ch. 371.)</i>	<i>Garfie, l. c.</i>	
	<i>Asie, Gr. 28,5 (p. Ch. 364-383.)</i>	<i>cet.</i>	

<i>Lat. prov. et rust.</i>	<i>Lat. vulg. rec.</i>	<i>Umbr.</i>
<i>ant.</i>		
<i>Dat. S.</i>		
Tifatine, <i>I. N.</i> 6310,1.	Cecine, <i>l. c.</i> Loliane, <i>l. c.</i> sacre, <i>I. N.</i> 2057. bone, <i>I. N.</i> 2061. (<i>p. Ch.</i> 490.)	(<i>p. Ch.</i> 461—482.) <i>cet.</i>
<i>Abl. Plur.</i>	<i>Dat. S.</i>	<i>Abl. Pl.</i>
nuges, <i>t. Amit.</i> <i>I. N.</i> 5882.	condite, <i>I. N.</i> 2603. (<i>p. Ch.</i> 114.)	sehmenies, <i>l. c.</i> tekuries, <i>l. c.</i> aseçetes, <i>l. c.</i> plenasier, <i>l. c.</i> urnasier, <i>l. c.</i> <i>cet.</i>

Ut igitur diphthongus *ai* in ore Volscorum, Umbrorum, Latinorum hominum vel rusticorum vel provincialium in *e* transiit, sic etiam diphthongum *oi* apud Volscos non retinuisse suam naturam et pronunciationem, sed in simplices vocales *e* et *i* abiisse, e formis Volscarum vocum deve, Declune, vesklis, vinu perspicitur. Quem diphthongum et in lingua Latina antiquissima et in Oscorum dialecto valuisse et in Umbris ac Sabinis monumentis vestigia quaedam sui reliquisse, ex his exemplis apparat:

<i>Lat. ant.</i>	<i>Osc.</i>	<i>Umbr. ant.</i>	<i>Sab.</i>
oino, <i>t. Scip. Barb. f.</i>		Koisis, <i>AK. Umbr.</i>	poimunie.
oina, <i>l. agr. (Thor.)</i>			<i>Sprd. Gloss.</i> Momms. <i>U. D. t.</i>
oinvorsei, <i>Sc. d. Bacc.</i>			XV, 4.
ploirume, <i>f. Scip. B. f.</i>			
foideratei, <i>Sc. d. Bacc.</i>			
foidere, <i>l. Iul. mun.</i>			
comoinem, <i>Sc. d. Bacc.</i>	moíniko, <i>Momms. l. c.</i>		
moinicipieis, <i>l. agr. (Thor.)</i>	moínikad, <i>l. c.</i>		
Poinicia, <i>l. agr. (Thor.)</i>	moínikeí, <i>l. c.</i>		
oitile, <i>Sc. d. Tib.</i>	oittiuſ, <i>l. c.</i>		
<i>Or. 3114.</i>			
coiravit, <i>t. Aletr. Mon. ep.</i>			
<i>tr. Ritsch. cf. I. N.</i>			
3561, 3562, 3564. 1119.			
moiro, <i>I. N.</i> 1119.			

<i>Lat. ant.</i>	<i>Osc.</i>	<i>Umbr. ant.</i>	<i>Sab.</i>
<i>coiperit, l. rep. (Serv.)</i>			
<i>loidos, I. N. 3561, 3562.</i>			
<i>cet.</i>			
<i>Dat. Sing. populoi, Mar. Victor. p. 2463.</i>	<i>Abellanoí, l. c.</i>		
<i>Romanoi, a. O.</i>	<i>Herekloí, l. c.</i>		
<i>quoi, l. rep. (Serv.) l. agr. (Thor.)</i>	<i>Kerríoi, l. c.</i>		
<i>hoi-ce, l. rep. t. Bant. Mar. Victor. p. 2459.</i>	<i>Maiioí, l. c.</i>		
<i>Dat. Plur. enatois, Momms. U. D. p. 364.</i>	<i>Dat. Plur. Kerríoiś, l. c.</i>		
<i>suois, l. c.</i>	<i>ligatoíś, l. c.</i>		
<i>quois, Cic. d. legg. III, 10.</i>	<i>Novlanoíś, l. c.</i>		
	<i>cet.</i>		
	<i>Abl. Plur. dekmannioíś, l. c.</i>		
	<i>zikoloíś, l. c.</i>		
	<i>nesimoíś, l. c.</i>		

Hic de Oscis nominum formis animadvertere licet diphthongi *oi* vocalem *i* in lingua antiquiore in sonum illum inter *i* et *e* medium, de quo supra mentionem fecimus, inclinasse, at genuino sono simillimum eum mansisse inde intellegitur, quod in monumentis recentioris aetatis Latina littera **I** exprimitur. Contra in lingua Latina diphthongum *oi* iam antiquissimis temporibus in *oe* aut inclinasse aut transiisse haud obscuris indicatur vestigiis, id quod nonnullis tantum exemplis adhibitis comprobare licet.

<i>Lat. ant.</i>	<i>Lat. ant.</i>	<i>Lat. ant.</i>
<i>oenus, Cic. d. legg. III, 9.</i>	<i>oesus, Cic. d. legg. III, 10.</i>	<i>Nom. Pl.</i>
<i>oenigenos, Fest. p. 195.</i>	<i>coera-, cf. I. N. 3560. 4221.</i>	<i>pilumnoe, Carm. Sal. Fest.</i>
<i>noenum, Lucil. Varr. ap. Non. II, p. 98. G.</i>	<i>3563. 3565. 3569. 2249. 4148. 2196. 2513. 322.</i>	<i>p. 205.</i>
<i>ploera, Cic. d. legg. III, 6.</i>	<i>4875. ct. Cic. d. legg. III, 7. IV, 10.</i>	<i>poploe, l. c. fescemnoe, Fest. p. 86.</i>
<i>foedere, l. agr. (Thor.)</i>	<i>moer(um), I. N. 322.</i>	<i>Abl. Plur.</i>
<i>moeniundae, I. N. 4627.</i>	<i>loedos, I. N. 3563.</i>	<i>oloes, Fest. p. 19.</i>
<i>Poenicas, Col. restr. rest.</i>	<i>loebertatem, Fest. p. 121.</i>	
<i>oetantur, l. agr. (Thor.) cf. I. N. 6011. Fest. p. 246.</i>	<i>loebesum, l. c.</i>	

Non est huius loci accuratius inquirere, qua ratione et qua aetate diphthongus *oi* linguae Latinae et in *oe* et in *u* abierit. Id tantum modo adhibitis antiquis eius monumentis confirmare volui, etiam in ceteris dialectis Italicis, quamvis nulla inveniantur scriptiorum *OE* pro *OI* exempla, fieri non potuisse, quin diphthongus *oi* per medium quendam sonum *oe* ad *e* descenderet. Quod quidem ita factum esse in lingua Latina antiquiore ut in Umbrorum, Volsorum, Sabinorum sermone conspectu exemplorum in medium prolati facile apparet.

<i>Lat. ant.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Sab.</i>	<i>Volc.</i>
<i>Nom. Plur.</i>	<i>Gen. S.</i>	<i>Dat. S.</i>	<i>Lebasium,</i>	<i>Dat. S.</i>
Modies, I. N. 5758.	Marties, Ak. Umbr. pople, l. c.	Serv. Verg. G. I, 7. deve,		
Veturies, t. Genuat.	Sprd. I, p. 118. Martie, l. c.		Declane,	
Mentovines, l. c.	katles, l. c.	Tursce, l. c.		
Cavaturines, l. c.	kapres, l. c.	Iuvie, l. c.		
duomvires, Or. 3808.	numer, l. c.	Dat. Pl.		
Atilies, t. Vindob.	tupler, l. c.	Satanes, l. c.		
Rh. Mus. IX, 156.	tripler, l. c.	Atiersier, l. c.		
Saranes, l. c.	popler, l. c.	etre, l. c.		
magistres, l. c.	Tuscer, l. c.	Abl. Pl.		
matrimes, Fest. p. 126.	Martier, l. c.	Treplanes, l. c.		
patrimes, l. c.	katle, l. c.	Vehiies, l. c.		
ploirume, t. Scip. B. f.	agre, l. c.	termnes, l. c.		
		veskles, l. c.		
		seples, l. c.		
		ahesnes, l. c.		
		proseseter, l. c.		
		adrer, l. c.		
		plener, l. c. cf. AK. Umbr. Sprd. I, p. 117. 119.		

Horum verborum stirpes cum in *o* exirent, haec ipsa vocalis cum sequenti *i*, quae aut casus notam *s* cum verbi stirpe coniungeret, aut per se ipsa nota esset casus, primum in *oi* diphthongum coauit, deinde per medium sonum *oe* in simplicem vocalem *e* pronuntiando confusa est. Sic Latine magistre-s ortum est e magistro-i-s, Umbrice katle-s, i. e. catuli e katlo-i-s, Atiersie-r, i. e. Attidiis pro Atiersie-s ex Atiersio-i-s, plene-r, i. e. plenis pro plene-s e pleno-i-s et dativus singularis pople, i. e. populo e poplo-i, sic denique Volsci dativi deve, Declane prodierunt a plenioribus formis devo-i, Decluno-i. Eadem vero ratione in Sabino nomine Liberi patris Lebasium e vocalem ex *oi* diphthongo contractam esse e Latinis verborum formis quas supra posuimus loeb-esum, loeb-ertatem conlato Graeco nomine λοιβ-η dilucide apparet.

Atque etiam ultra processit depravatio diphthongi *oi*, quoniam docent Volscae voces vinu et vesklis, de quibus supra egimus, vel in *i* vocalem eam pronuntiando constrictam esse, sicut

apud Umbros et Latinos et in stirpibus verborum et in syllabis finalibus, quibus casus significantur, saepissime factum esse conlatis hisce nominum formis planum fit.

<i>Lat. ant. et rec.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Volsc.</i>
vinum,	vinu, AK. Umbr. Sprd. Gloss. vinu	cf. Foīros, Foīros,
vicus,		foidus,
fidus, <i>Enn. Varr. L. L. V</i> , 86.		λοιβή,
Liber,		ploirume,
plisima, <i>Fest. p. 205.</i>		Dat. S.
<i>Gen. S.</i>	<i>Dat. S.</i>	
Saeturni, <i>Ritsch. fict. Lat.</i>	Saçi, AK. Umbr. Sprd. I, p. 117.	cf. populoi,
p. 8.	Tefri, l. c.	Romanoi,
Volcani, l. c. p. 17.	Çerfi, l. c.	quo-i,
Keri, l. c.	Trutikni, l. c.	hoi-c,
Pomponi, l. c. p. 16.		
Kaili, <i>Col. Somasc. Momms.</i>		
<i>U. D. p. 32.</i>	<i>Dat. Pl.</i>	
Barbati, t. scip. B. f.	çitir, l. c. AK. Umbr. Sprd. I, p. 119.	cf. cnatois,
	ançitir, l. c.	suois,
	hostatir, l. c.	quois,
	anostatir, l. c.	oloes,
<i>Dat. Abl. Pl.</i>	<i>Abl. Pl.</i>	
prosectis,	prosesetir, l. c.	
privatis,	prinvatir, l. c.	
vasculis,	vesklir, l. c.	vesklis,
atris,	adrir, l. c.	
albis,	alfir, l. c.	

Extra fines terminosque huic libello constitutos egredi viderer, si exemplorum copia adhibita probare vellem, quod ab aliis demonstratum est, et in Latina et in Osca lingua, multo rarius apud Umbros, pleniorum diphthongum *oi* aut in leviorem *ei* transuisse aut in simplicem quandam vocalem, qui medium teneret sonum inter *e* et *i* litteris EI notatum, quoniam huius scriptionis in Volscorum monumentis, de quibus hoc loco agitur, ne vestigium quidem repertum est.

Si quis autem recognoverit recensum verborum supra scriptorum, eum fugere non poterit earum vocum, quarum stirpes in *o* exeant, casuum formas fuisse antiquissimas in linguis Italicas Genetivi singularis -o-i-s, Dativi -o-i, Nominativi, Dativi, Ablativi pluralis o-i-s, easque formas diphthongo *oi* in *oe*, *e*, *ei*, *i* adtenuata et consonanti *s* hand raro aut abiecta aut in *r* debitilitata varie mutatas et mutilatas esse.

Quodsi hucusque demonstratum est in monumentis linguae Volscae diphthongos *ai* et *oi* nusquam integras servatas esse sed ubique coaluisse in simplices vocales *e* et *i*, etiam diphthongi *ou* loco scriptam invenimus simplicem vocalem *o* in adiectivo nomine toticu, cuius de origine iam

supra mentionem fecimus. Quae res cum et ipsa aliquid lucis afferre videatur ad illustrandam rationem et necessitudinem, qua cum ceteris Italiae linguis inter se cognatis Volscorum sermo coniunctus fuerit, primum exempla quaedam servatae diphthongi ou e monumentis Latinis, Oscis, Sabinis deponpta in medium proferam. Sunt vero haec:

Lat. ant.	Osc.	Sab.
Fourio, <i>t. Fur. Bull. Arch. Rom.</i> 1847,	Jovkiíoí, <i>Momms. U. D. Gloss.</i>	
p. 166. <i>Momms. U. D. p. 276.</i>		
poublicom, <i>I. N.</i> 715. 716.		
Loucanam, <i>t. Scip. B.</i>	Lovkanateís, <i>l. c.</i>	
Loucina, <i>I. N.</i> 6762.	Loukanom, <i>l. c.</i>	
Loucetio's, <i>Mar. Vict. p. 2459.</i>	Lovkl. <i>l. c.</i>	
loumen, <i>l. c.</i>	lovfreís, <i>l. c.</i>	
abdoucit, <i>t. Scip. B.</i>	loufi(rud), <i>l. c.</i>	
indoucere, <i>Sc. d. Tib. Or. 3114.</i>	tonto, <i>l. c.</i>	
cf. <i>Mil Pop. Ritsch p. 4.</i>	toutad, <i>l. c.</i>	
plouruma, <i>I. N.</i> 5882.	tovtíks, <i>l. c.</i>	
plous, <i>Sc. d. Bacc.</i>	toutico, <i>l. c.</i>	
iou, <i>l. agr. (Thor.) l. repet.</i>	touticom, <i>l. c.</i>	
(Serv.) <i>l. Termes. cf. I. N. 4239.</i>		toutai, <i>t. Rap. Momms.</i>
ioubeatis, <i>Sc. d. Bacc. cf. t.</i>		<i>U. D. t. XIV.</i>
Aletrin. <i>Ritsch. Or. 3892. cf. t.</i>		Maroucái, <i>l. c.</i>
Genuat. <i>l. rep. (Serv.)</i>		
ioudicio, <i>l. repet. l. rep. (Serv.)</i>		
ioudicatio, <i>l. rep. (Serv.)</i>		
coniourase, <i>Sc. d. Bacc.</i>		
iouranto, <i>t. Bant. l. repet. cf. l. rep. (Serv.)</i>		
iniourias, <i>t. Genuat.</i>		
nountios, <i>Mar. Vict. l. c.</i>		
noundinum, <i>Sc. d. Bacc.</i>		
Nounas, <i>I. N.</i> 3095 (<i>p. Ch. 5.</i>)		
Nouceriam, <i>Mil. Pop. I. N. 6276.</i>	Novlanos, <i>l. c.</i>	
Ritsch. <i>Mon. ep. tr.</i>	Novlanum, <i>l. c.</i>	
poloucta, <i>I. N.</i> 4495.	Novlanoís, <i>l. c.</i>	
couratoque, <i>l. rep. (Serv.)</i>	Novlanam, <i>l. c.</i>	
Toutia, <i>Or. 1501.</i>		
Oufentina, <i>Or. 1497. Fest.</i>		
p. 194. <i>Momms. U. D. p. 218.</i>		
Pro diphthongo OV harum vocum Latinarum iam in antiquissimis titulis simplicem vocalem		

V scriptam invenimus, velut in titulo Pisaurensi Iunone (*Ritsch. fictil. litt. Lat.* p. 27) pro Iovi-none, Iou-none, Luciom (*t. Scip. Barb. f.*) Lucius (*t. Scip. Barb.*), et hanc scriptionem per simplicem litteram V a temporibus belli Marsici vulgari usu adoptatam, antiquiore per OV obliterata, quamvis restarent vestigia quaedam scriptiois obsoletae in nummis et monumentis publicis, accurata et subtili quaestione, ut assolet, demonstravit Ritschelius (*Monum. epigr. tria, de mil. Popil. p. 4 sq.*). Simili ratione in Umbrorum lingua ou diphthongum in vocalem u contractam esse demonstraverunt monumentorum Umbricorum interpres (*AK. Umbr. Sprd. I*, 56). His igitur omissis vocabula quaedam linguarum Italicarum hoc loco conferenda videntur, in quibus eadem ratione ut in Volsco toticu diphthongus ou coaluit in simplicem vocalem o.

<i>Lat.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Sab.</i>	<i>Volsc.</i>
poplicod, <i>Sc. d. Bacc.</i>	comohota, <i>AK. Umbr. Sprd.</i>		
poplice, <i>t. Bant.</i>	I, p. 64 sq.		
poplici, <i>t. Genuat.</i>	tota, <i>l. c.</i>	totai, <i>t. Rap. Momms.</i>	toticu.
poplico, <i>Mil. Pop. l. c.</i>		U. D. <i>t. XIV.</i>	
<i>t. Gen. l. rep. l. rep.</i>			
(<i>Serv.</i>) <i>l. agr. (Thor.)</i>			
nontiata, <i>Sc. d. Tib.</i>			
denontiari, <i>t. Bant.</i>			
pronontiato, <i>l. rep. (Serv.)</i>			
nondinum, <i>t. Bant.</i>	noniar, <i>l. c.</i>		
Folvius, <i>T. N. 1094.</i>			

Ad Latina verba hic perscripta conferendae sunt pleniores eorum formae poublicom (*I. N. 715. 716.*), nountios (*Mar. Vict. p. 2459*), noundinum (*Sc. d. Bacc.*), Foulvius (*Ritsch. Mon. ep. tr. p. 34*), Umbricum tota, Sabinum totai, Volscum toticu a stirpis forma tonta- prodiisse comparatis Oscorum vocabulis ab eadem ortis appareat, de quibus supra egimus.

Diphthongi au cum nec ipsius nec vicariae vocalis in quam abierit vestigia usquam in monumentis Volscis reperiantur, in universum hic monuisse sufficiat, et Umbrorum et Latinorum lingua eam saepissime in o et u coaluisse (*AK. Umbr. Sprd. I*, 56. II, 403), unde vix dubitare possumus, etiam apud Volscos eandem diphthongum non magis integrum servatam esse quam ai, oi, ou.

Hanc igitur habemus pronuntiationis scalam, ut ita dicam, per quam diphthongi linguarum Italicarum adtenuatae sensim et coalescentes in ore hominum descendant in sonum simplicium vocalium.

AI.

ai,	ai,	ae,	e,	ei,	i,
<i>Lat.</i>		<i>Lat.</i>	<i>Lat.</i>	<i>Lat.</i>	<i>Lat.</i>
Osc.	Osc.	Osc.			
Sab.					
Umbr.			Umbr.		
				Volsc.	

oi,	ói,	oe,	OL.	e,	ei,	i,	u,
<i>Lat.</i>		<i>Lat.</i>		<i>Lat.</i>	<i>Lat.</i>	<i>Lat.</i>	<i>Lat.</i>
<i>Osc.</i>	<i>Osc.</i>			<i>Osc.</i>	<i>Osc.</i>		
<i>Sab.</i>				<i>Sab.</i>			
<i>Umbr.</i>				<i>Umbr.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Umbr.</i>
					<i>Volsc.</i>	<i>Volsc.</i>	
					<i>AV.</i>		
au,				o,		u,	
<i>Lat.</i>				<i>Lat.</i>		<i>Lat.</i>	
<i>Osc.</i>							
<i>Sab.</i>				<i>Umbr.</i>		<i>Umbr.</i>	
				ov.		u,	
ou,				o,		Lat.	
<i>Lat.</i>				<i>Lat.</i>			
<i>Osc.</i>							
<i>Sab.</i>				<i>Sab.</i>			
				<i>Umbr.</i>		<i>Umbr.</i>	
						<i>Volsc.</i>	

Itaque hac argumentatione demonstratum videtur, linguam Latinam antiquorem, Oscorum sermonem, Sabinorum dialectum diphthongis suum plerumque sonum suamque naturam integrum servasse, contra in lingua Umbrorum et Volsorum diphthongos fere ubique in simplices vocales coaluisse, medium quendam in scala illa, quam in conspectu posuimus, tenere linguam Latinam eius aetatis, qua maxime litteris floruerit. Ab hac vero discedens lingua vulgaris hominum rusticorum et provincialium cum antiquis temporibus tum extrema imperii Romani aetate in eandem delapsa est diphthongos contrahendi collinendique rationem, cui Umbri et Volsci omnino indulgebant. Quam quidem rationem inde manasse in linguas ab ea ortas, quas Romanas vocare solemus, eos non fugiet qui F. Diezii praeclarissimum de earum originibus librum perlustraverint.

Iam vero quoniam de diphthongis quaestio absoluta videtur, agendum est de simplicibus linguae Volscae vocalibus demonstrandumque, qua ratione pinguiores et pleniores vocales in leviores adtenuentur.

Et primum quidem de vocalibus *u* et *o* e pleniore et clariore *a* ortis quaerendum erit. Reperiuntur igitur formae verborum quaedam in linguis Italicis, quarum vocalis *ū* in syllaba finali prodiit e genuino *a*, quod lingua Sanscrita servavit. Sunt videlicet et imperativi in syllabam -*tū* exeuntes ex Indorum -*tāt* derivandam et ablative in vocalem *u* desinentes *e* syllaba finali -*āt* abiecta *t* consonanti ortam, qua in lingua Sanscrita ablativus significatur (AK. *Umbr. Sprd. I*, 141). Ascribam igitur comparandi causa basce imperativorum formas:

Osc.	Lat. rec.	Umbr.	Volsc.
estud,	esto,		estu,
actud,	agito,		arpatitu.
likitud,	liceto,		
factud,	facito,	fetu,	
	dicito,	deitu,	
	ito,	etu,	
	inito,	enetu,	
	ferto,	fertu,	
	commolito,	comoltu,	
	sistito,	sistu,	
	sumito,	sumtu,	
	ostendito,	ustentu,	
	advehito,	arveitu,	
	convehito,	kuveitu,	
	convertito,	covertu,	
	revisito,	revestu,	
	piato,	pihatu,	
	stipulato,	stiplatu,	
	narrato,	naratu,	
	orato,	osatu,	
	prosecato,	prusekatu,	
	habeto,	habetu,	
	canito,	kanetu,	
	teneto,	tenitu,	

(AK. Umbr. Sprd. I, p. 142. Momms. Unt. Dial. Gloss.)

Ex his appetet linguam Oscam servare formam imperativi Sanscriticae similiorem in eo, quod finalem consonantem *t* non abiecerit, sed tantum in *d* emollierit, contra in forma Latina *-to u* in Graeca *-τω* illam quidem consonantem obmutuisse, at mansisse vocalem *ō* similiorem genuinae *a* quam Oscorum *u*; in dialectis denique Umbrorum et Volscorum et consonantem finalem extinctam esse, et vocalem quae ei praecedat ubique in obscurum sonum *u* abiisse. Simile animadvertere licet conlatis hisce ablativorum formis:

Lat. ant.	Lat. ant.	Osc.
equoltod, Sc. d. Bacc.	mereto, I. N. 5567.	amnod, Momms. U. D. Gloss.
poplicod, l. c.	agro, Sc. d. Bacc.	Bovaianod, l. c.
preivatod, l. c.	sovo, Or. 4848.	eisod, l. c.
meritod, Ritsch. fict. Lat. p. 27.	lerido, l. c.	sakaraklod, l. c.
	commodo, l. c.	tanginod, l. c.

<i>Lat. ant.</i>	<i>Lat. ant.</i>	<i>Osc.</i>
Gnaivod, <i>t. Scip. Barb.</i>	voto, <i>I. N. 4495.</i>	
molticatod, <i>Or. 3147.</i>	soluto, <i>l. c.</i>	
Beneventod, <i>Momms. U. D.</i>	crebro, <i>l. c.</i>	
	p. 203.	
Ladinod, <i>l. c.</i>		
quod <i>l. d. pond. Fest.</i>		
<i>v. publica pondera,</i>		
<i>p. 246.</i>		
Umbr.	<i>Volsc.</i>	<i>Osc.</i>
vinu, <i>AK. Umbr. Sprd.</i>	vinu,	amvianud,
<i>I, 117. f.</i>	covehriu,	aragetud,
Fisiu,	sepu,	tristamentud,
testru,	toticu,	Tiianud,
puplu,		atrud,
mestru,		annamnud,
anglu,		dolud,
(cf. <i>Momms. Unt. Dial. Gloss.</i>)		
pihatu,		tanginud,
etru,		preivatud,
tertiu,		contrud,
termnu,		ligud,
Ioviu,		malud,
		Sidikinud.

His igitur imperativorum formis comparatis planum fit linguam Latinam ubique in eis vocalem *o* ex *a* ortam retinuisse, eandem iam inde ab aetate bellorum Punicorum incepisse consonantem *d* finalem opprimere, contra in Oscorum sermone hanc ipsam consonantem semper incolumem servatam esse, vocalem autem quae praecedat modo *o* modo *u* sonuisse, apud Umbros vero et Volscos et consonantem finalem semper abiectam et vocalem praecedentem ubique in *u* obscuratam esse.

Ad perspiciendas porro similitudines, quae Volscorum sermoni intercedant cum propinquarum gentium linguis haud minoris esse momenti dixerim naturam et immutationes vocalis *o* subsequente *m* finali inquirere. Quam quidem in titulis Volscis exhibitam legimus in formis accusativi singularis et genitivi pluralis eorum nominum, quorum stirpes in *o* desinunt. Hanc vero vocalem e genuina *a* debilitatem esse, iam pridem e lingua Sanscrita demonstratum est. Contemplemur igitur hasce accusativi singularis et genitivi pluralis formas:

O.

Acc. S.

Lat. ant.	Lat. extrem. aet.	Ital. rec.
dono, I. N. 5567. 5483. t. Pis. tuom, Grut. 1055.		
Ritsch. fict. Lat. p. 26. Or. 4309, 5. 1500. Grut. 52. 11.	bonom, Fleetw. Syll. inscr. Mon. Chr. 473, 2. dono,	buono,
donom, t. Flor. Or. 1421.	memoriom, l. c.	
pocolom, Ritsch. l. c. p. 8.		poculo,
17. 18.		
sacrom, l. c. p. 28. I. N. 715.		sacro,
716.		
poupublicom, I. N. 715. 716.		publico,
locom, l. c.		luogo,
captom, Col. rostr. rest.		
oino, t. Scip. B. f.		uno,
optumo, l. c.		ottimo,
viro, l. c.		
Lucio, l. c.		Lucio,
Samnio, t. Scip. B.		Sannio,
Volcanom, num. Momms. U.		Vulcano,
D. p. 204.		

Osc.

Sab.

Umbr. rec.

Volsc.

Gloss.	Momms. U. D. p.	I, p. 116.	esaristrom,
saahtom, l. c.	339. tab. XV.	sorsom, l. c.	pihom,
sakaraklom, l. c.	aunom, t. Amit. l. c.	poplom, l. c.	dunom,
τανγομ, l. c.		sevom, l. c.	
terom, l. c.		Tuscom, l. c.	
teforom, l. c.		Naharcom, l. c.	
thesavrom, l. c.		Japuscom, l. c.	
mallom, l. c.		salvo, l. c.	
posmom, l. c.		persclo, l. c.	
zicolom, l. c.		esono, l. c.	
siom, l. c.		mandraclo, l. c.	
tanginom, l. c.		cringatro, l. c.	

Gen. Plur.

Lat. ant.	Umbr. rec.	Volsc.
Aiserninom, num. Momms. U. D. p. 204.	Atiersio, AK. Umbr. Sprd. I, p. 120. proseseto, l. c.	Velestrom,
Ladinom, l. c.	pihaclō, l. c.	
Aisernino, l. c.		
Aquino, l. c.		
Caiatino, l. c.		
Caleno, l. c.		
Corano, l. c.		
Cozano, l. c.		
Paistano, l. c.		
Romano, l. c.		
Suesano, l. c.		
Tiano, l. c.		
Lat. ant.	Lat. extr. aet.	Ital. rec.
duonoro, t. Scip. B. f.	annoro, Grut. 1061, 3. Fleetw. Syll.	loro
olorom, Col. rostr. rest.	inscr. Mon. Chr. 503, 2.	co-loro
		co-store
		cot-estoro.

U.

Acc. S.

Lat. ant.	Lat. rec.	Umbr. ant.	Osc.
donu, t. Pis. Ritsch. fict.	donum,	surum,	veru,
Lat. p. 28. Rh. Mus. IX, 19.	dolum,	persklum,	Sarinu,
donum, t. Flor. Ritsch. l. c.	populum,	puplum,	dolum,
p. 27. Rh. Mus. IV, 460.	caprum,	kaprum,	nesimum.
sacrum, t. Rom. Or. 1850.	Tuscum,	Turskum,	
Ritsch. fict. Lat. p. 26.	vinum,	sevum,	
	cet.	perum,	
		krekkatum,	
		Naharkum,	
		naraklum,	
		vinu,	
		mantraklu.	

(Cf. AK. Umbr. Sprd. I, p. 116. Kirchh. Stadtr. v. Bant. p. 39. Zeitschr. f. vergl. Sprachf. V, 130.)

<i>Gen. Pl.</i>	<i>Lat.</i>	<i>Umbr. ant.</i>	<i>Osc.</i>
deum,		Atiieriu,	kupelternum,
nummum,			Maueotivou,
sestertium,			Abellanum,
			Alafaternum,
			Novlanum.
<i>Lat.</i>		<i>Umbr.</i>	<i>Osc.</i>
mensarum,		menzaru,	egmazum,
earum,		pracatarum,	eizazun-
urnarum,		sestentasiaru,	c.
publicarum,			
cet.			

(Cf. AK. Umbr. Sprd. I, p. 120, 52 f. Momms. Unt. Dial. Gloss.)

Horum accusativorum rationem secuntur infinitivi linguae Oscae, Umbricae, Volscae, quos iam supra memoratum est nihil aliud esse quam accusativos nominum verbalium a verbis ita formatorum, ut ad stirpes eorum vocalis o adfigeretur. Cuius generis hi inveniuntur:

<i>Lat.</i>	<i>Osc.</i>	<i>Umbr. ant.</i>	<i>Umbr. rec.</i>	<i>Volsc.</i>
venum-ire,	akum,	aiu,	erom,	ferom,
venum-dare,	aserum,	era,	afero,	
	deicum,	façiu,	aserio,	
	ezum,	aferum,	stiplo,	
	pertumum,			
	censaum,			
	moltaum,			
	tribarakavum,			

(AK. Umbr. Sprd. I, p. 62, Momms. Unt. Dial. Gloss.)

Conlatis his accusativorum et genetivorum formis intellegitur in lingua Latina fere usque ad finem belli Punici primi maximam partem o ante m et auditum et scriptum fuisse, quamquam ne a vetustissimis quidem titulis u ante m scriptum plane absuerit, inde anticum o sensim in u transiisse, quem scribendi pronuntiandique morem iam aetate belli contra Antiochum gesti valuisse docet senatusconsultum de Baccanalibus (cf. Ritschl. Rh. Mus. IX, 10. Momms. ap. Iahn. Cist. Ficor. p. 43 f. Rh. Mus. IX, 464). Extremis autem imperii Romani saeculis vulgarem sermonem rediisse ad vetustum illud o, unde in illas linguas manaverit hic pronuntiandi usus, Romanae quae vocantur, exemplis supra positis comprobatur. Paullo alia ratione in Oscorum dialecto o plerumque locum tenuit in accusativis earum vocum, quarum stirpes in hanc vocalem exeunt, quamquam etiam accusativorum in -um desinentium exempla quadam reperiuntur, contra in genetivis pluralis et infinitivis verborum vocalis o subsequente m semper in obscuriore u transiit. Apud Sabinos et -om et

-um auditum esse e titulis eorum conspicitur (*Momms. Unt. Dial. tab. II, XV. XVII*), sed non eo usque processisse fatendum est cognitionem horum monumentorum, quamvis varie tentata sint, ut de verborum formis ita scriptis plura dicere aut diudicare audeam. Viam ac rationem vero Latinae prorsus contrariam secuta esse Umbrorum lingua videtur, cum in antiquioribus monumentis vel abiecta consonanti *m* vocalem *u* exhibitam legamus, in recentioribus *-om* et *-o* scriptum inventiamus. At enim si quis reputaverit, sermonem Latinum antiquas vocales *ō* et *ō*, quas communes esse Italicis linguis cum Graeca ex *ā* et *ā* linguae Sanscritae ortas demonstratum est, primum in *u* mutasse, deinde aliquot saeculis post ad *o* redisse, facile concedet idem etiam apud Umbros fieri potuisse, ut eo tempore, quo antiquissima eorum monumenta litteris mandata sunt, iam vetustissimum *o* transierit in *u*, deinde et pronuntiatione et scriptione illius gentis pristina vocalis *o* restituta sit. Quid enim? Nonne supra apparet linguam Umbricam aliquot saeculis ante vulgarem sermonem Latinum delapsam esse in illam diphthongos confundendi collinendique rationem, quae vel maxime valuit ad eam corrumpendam? Sed de tota hac provincia profiteor me alio loco mox plenius acturum esse. Volsorum denique dialectus ad similitudinem linguae Latinae, qualis et antiquissima et extrema aetate vulgo audiebatur, Umbrici sermonis recentioris rationem secuta in verborum formis supra scriptis ubique *-om*, nusquam *-um* exhibet. Atque haec ipsa est similitudo quam hac disputatione oculis proponere volebam.

Praeterea in lingua Volsca plenissimam vocalem *a* haud raro etiam in *e* debilitatam esse his edocemur exemplis.

<i>Volsc. vesklis,</i>			<i>Lat. vas,</i>
<i>Umbr. veskles,</i>			<i>vasculis,</i>
<i>Volsc. covehriu,</i>			<i>Sanscr. r. vah-,</i>
<i>Umbr. kuveitu,</i>			
<i>Osc. veia, Fest. p. 368.</i>			
<i>Volsc. sepu,</i>	<i>Osc. sipus,</i>	<i>Gr. σοφός,</i>	<i>Lat. sapiens,</i>
	<i>Lat. sibus,</i>		<i>Gr. σαφές,</i>
	<i>persibus,</i>		
	<i>sipidus,</i>		
<i>Volsc. ferom,</i>		<i>Lat. fors,</i>	<i>Sanscr. r. bhar-,</i>
<i>Umbr. fertu,</i>		<i>Gr. φορά,</i>	<i>Goth. barn,</i>
<i>Sab. ferenter,</i>			<i>Gr. φαρέτρη,</i>
<i>Lat. ferre,</i>			
<i>Gr. φέρειν,</i>			
<i>Volsc. estu,</i>			<i>Sanscr. r. as-,</i>
<i>Osc. estud,</i>			
(<i>Umbr. estu</i>)			
<i>Lat. esto,</i>			
<i>Gr. εστω,</i>			

<i>Volsc.</i> Vesune,	<i>Goth.</i> wisan,	<i>Sanscr.</i> r. vas-,
<i>Umbr.</i> Vesuna,		
<i>Lat.</i> Vesta,		
<i>Gr.</i> 'Eστια,		
<i>Lat.</i> verna,		
<i>Volsc.</i> dedca,	<i>Gr.</i> διδωμι,	<i>Sanscr.</i> r. dadāmi,
<i>Volsc.</i> medix,		<i>Lat.</i> modus,
medis,		modius,
<i>Osc.</i> meddix,		<i>Sanscr.</i> r. ma-,
medix,		<i>Pott. Etym. Forsch.,</i> I, 195.

Genuinum *a* in Volscorum sermone adtenuatum esse in vocalem *i*, ubi adfixam vocis particulam cum stirpe coniungat, uno tandem modo probatur verbo *arpatitu*. Cuius loco in lingua Latina vetustiore et in vulgari extremae aetatis sermone sicut in Umbrorum antiquioribus monumentis haud raro *e* subsequente *t* consonanti exhibitum esse his demonstratur exemplis.

<i>Lat. ant.</i>	<i>Lat. aet. extr.</i>	<i>Umbr. ant.</i>
mereto, <i>I. N.</i> 5567. 5483. <i>t. Scip.</i> primetivus, <i>I. N.</i> 3344.		karetu,
<i>B.f. Epigr. Sor. Ritsch. Mon. ep. tr.</i> condetur, <i>Fleetw. Syll.</i>		kanetu,
mereta, <i>tab. Aletr. l. c.</i>	<i>inscr. Mon. Chr.</i> 515, 3.	uretu,
Aacetiae, <i>Ritsch. sict. Lat. p.</i> 18.	placetus, <i>l. c.</i> 508, 2. <i>Or.</i>	taçez,
Condetius, <i>Or.</i> 1433.	4858.	cet.
apparetoris, <i>Ann. d. Inst.</i> 1838, <i>p.</i> 202.		
habetabatur, <i>l. Iul. mun.</i>		
sineto, <i>l. c.</i>		
intercedeto, <i>l. c.</i>		

(Cf. AK. *Umbr. Sprd.* I, p. 28.)

Volscorum igitur dialectus hac in re proprius accedit ad similitudinem Latinae et Umbricae recentioris et Oscae linguae, id quod ex his vocabulis cognoscere licet:

<i>Osc.</i>	<i>Lat.</i>	<i>Umbr. rec.</i>	<i>Volsc.</i>
liímítō,	merito,	habitū, <i>l. c.</i>	arpatitu.
likitud,	conditus,	carsitu, <i>l. c.</i>	
	apparitoris,	tursitutu, <i>l. c.</i>	
	habitabatur,		
	intercedito,		
	primitivus,		
	cet.		

Itaque etiam in adjektivo Volso totiū syllabam finalem -cu vocali i interposita cum stirpe vocis coniunctam videmus ut in Oscis tovtíks, toutíco, moíníkad et in Latinis permultis adjективis, quarum stirpes in -ico exeunt.

Vocalem *o* ex *a* ortam in *e* adtenuatam esse in Volscorum lingua documento sunt formae nominum **Cosuties**, **Tafanies**, **Pacvies**, quas e **Cosutios**, **Tafanios**, **Pacvios** ita ortas esse crediderim, ut in adfixa vocis particula *-io*, cui in Sanscrita lingua *-ja* respondet, vi praecedentis i subsequens vocalis *o* in *e* vocali i sonu similiorem transiret. Simili ratione in lingua Latina vocalis *a* praecedente i huic ipsi similior redditu videtur in vocibus **barbaries**, **luxuries**, **materies**, **maceries**, **pauperies**, **desidies**, **fallacies**, **prosapies**, **effigies**, **durities**, **mollities**, **planities**, **mundities**, **pigrities**, **scabrities**, **amicities**, **avarities**, **notities**, **puerities**, **saevitie**s, **segnities**, **spurcites**, **canities**, comparatis nominativis in *-ia* exeuntibus velut **barbaria**, **luxuria**, **materia**, **mollitia** cet. (*Charis.* p. 94, 4). Illas enim nominativorum formas in *-ies* desinentes ex eis quae in *-ia* exeunt ortas mutato *a* in *e* et nominativi nota *s* ad stirpem addita, docuit vir clarissimus Fr. Boppius (*Vergl. Gramm.* I, p. 141. sq.). Sic non est dubium vi praecedentis i vocalem *a* in *e* mutatam esse in finalibus syllabis *-iens* (*-ies*) adverbiorum numeralium *totiens*, *quotiens*, *multiens*, *quinquiens*, *centiens*, *milliens*, ceterorum quae cum nota comparativi composita esse a Sanscritica forma *-ījāns* deducenda recte vidit Aufrechtius (*Zeitschr. f. vergl. Sprachf.* I, 121. sq.). Eadem vero ratione ortum est *e* in coniunctivi formis *siem*, *sies*, *siet*, *sient*, quoniam *-ia* nota coniunctivi vel optativi non solum in lingua Sanscrita sed etiam in Umbricis formis velut *fu-ia*, i. e. *fuat*, *porta-ia*, i. e. *portet* appareat (*AK. Umbr. Sprd.* I, p. 141); sic formae antiquae coniunctivorum faciem (*Cato ap. Quint.* I, 7, 23) recipie- (*Fest.* p. 286) ortae sunt e plenioribus faciam, recipiam et easdem vocalis vicissitudines expertas esse futuri formas ut *audies*, *audiet*, *audient*, alia eiusmodi comparata prima persona *audiam* elucet. Eiusdem i praecedentis vi Umbrica locativi casus forma *Fisiem* prodiit a stirpe vocis *Fisio-* (*AK. Umbr. Sprd.* I, p. 32). Quamobrem cum interpretibus monumentorum Umbri- corum nominativos *Oscos Heirenni-s*, *Niumsi-s*, *Steni-s*, *Ohtavi-s*, *Umbricos Atiersi-r*, *Titi-s*, *Latinos Bruti-s*, *Fulvi-s*, *Ventinari-s*, *Aureli-s* (*AK. Umbr. Sprd.* I, p. 32. *Huebner, Quaest. onom.* p. 28, *Zeitsch. f. vergl. Sprachf.* V, 89) ita interpretandos censeo, ut eorum pars finalis *-ios* primum vi vocalis *i* in *-ies* transierit, deinde *e* vocali vel extrita vel cum praecedenti i pronuntiando confusa in *-is* contracta sit. Itaque in Volscis nominibus **Pacvies**, **Tafanies**, **Cosuties** vi praecedentis i vocalis *o* ex *a* orta in *e* debilitata est, id quod etiam in ore Latinorum, Oscorum, Umbrorum factum esse patet.

In vocalibus elidendis Volscos propinquarum gentium vestigia secutos esse, facile intellegitur Italicarum linguarum vocabulis quibusdam comparatis. Sic vocalis *u* elisa est in his verborum formis:

<i>Volsc.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Osc.</i>	<i>Lat. ant.</i>
<i>vesklis,</i>	<i>veskles,</i>	<i>evkloí,</i>	<i>vinclum,</i>
	<i>pihaclu,</i>	<i>sakaraklum,</i>	<i>periculum,</i>
<i>ogliu</i>	<i>mūneklu,</i>		<i>poclum,</i>
	<i>ehvelklu,</i>		<i>oraclum,</i>
	<i>kumnakle,</i>		<i>saeclum,</i>

<i>Volsc.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Osc.</i>	<i>Lat. ant.</i>
	mandraclo,		gubernaculum,
	naraklum,		spectaculum,
	persclu,		oraclum,
	suferaklu,		
	ooserclome,		

quae verborum formae aut syllabis -culo, quae instrumentum significant, aut -ulo deminuntivi nota ad stirpes additis prodierunt (*Cf. AK. Umbr. Sprd. I, p. 67. Gloss. Momms. Unt. Dial. Gloss.*)

Tum vocalis *e* elisa est in eis nominibus, quae adfixa comparativi nota prodierunt, cuius forma est in lingua Sanscrita -tara, Osce -toro, -tero, Latine -tero, Graece -τερο. Eiusmodi haec sunt vocabula:

<i>Volsc.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Lat.</i>	<i>Osc.</i>
Velestrom,	etraf,	altrim,	altrei,
esaristrom,	hutra,	extra,	ehtrad,
	putres,	intra,	
	posta,	contra,	
		contro,	contrud,
		intro,	
		retro,	
	destru,	dextro,	
	nertru,	sinistro,	
	pretra,		
	mestru,	magistro,	
		ministro,	minstreis.
	vestra,	vestra,	
		nostra,	
		cet.	

(*AK. Umbr. Sprd. I, 67. Gloss. Momms. Unt. Dial. Gloss.*)

Praeterea vocalis *e* exrita est in Volsca voce cumnios ut in Umbricis kumnakle, nomine, si modo e pleniore forma cumenios supra recte repetendam duximus, et in covehriu quod e coveheriu correptum existimavimus.

Denique vocalis *i* elisa est in tertia persona singularis perfecti coniunctivi et futuri exacti, quae syllabam finalem -sit in -st aut abiecto *t* finali in *s* mutilatam habet, id quod in his verborum formis animadvertere licet:

<i>Volsc.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Osc.</i>	<i>cf. Lat.</i>
atahus,	apelus,	apelust,		
	entelus,	entelust,		
	covortus,	covortust,		converterit,

<i>Volsc.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Umbr.</i>	<i>Osc.</i>	<i>cf. Lat.</i>
	<i>purtinçus,</i>	<i>purdinçius,</i>		
		<i>fust,</i>	<i>fust,</i>	<i>fuerit,</i>
	<i>vesticus,</i>	<i>benust,</i>		<i>venerit,</i>
		<i>terust,</i>		<i>dederit,</i>
	<i>pepescus,</i>	<i>peperscust,</i>		
		<i>fakust,</i>	<i>fefacust,</i>	<i>fecerit,</i>
		<i>iust,</i>		<i>ierit,</i>
	<i>amprefus,</i>	<i>sesust,</i>		<i>ambiverit,</i>
		<i>portust,</i>		<i>portaverit,</i>
		<i>dersicust,</i>	<i>dicust,</i>	<i>dixerit,</i>
	<i>habus,</i>		<i>pruhipust,</i>	<i>habuerit,</i>
				<i>prohibuerit,</i>
				<i>per temust,</i>

(Cf. AK. *Umbr. Sprd.* I, p 145 sq. *Gloss. Momms. Unt. Dial. Gloss.*) In his igitur formis sermonem Latinum a linguis propinquarum gentium servata vocali *i*, quae est nota coniunctivi, discedere videmus. Praeterea *i* vocalis subsequente *c* tenui exrita est in verbo *dedca*, i. e. *dedicat* (?) ut in Umbricis formis *todcome*, *todcor*, *todceir* comparatis cum Oscis *tovtiks*, *toutico* et cum Volsca *toticu*.

Inquisita igitur natura et origine Volscarum vocalium demonstratum videtur, linguam Volscorum eadem ratione induluisse inclinationi cuidam diphthongos in simplices vocales contrahendi confundendique ut Umbrorum dialectum et sermonem vulgarem Romanorum, qualis extremis imperii temporibus pronuntiabatur; quae quidem inclinatio tamquam morbus quidam senilis gravitatem et varietatem sonorum, qua quondam abundabant linguae illae, debilitavit, minuit, consumpsit. Sic autem degeneravit et consenuit, ut ita dicam, et Umbrorum et Volscorum lingua iam eis temporibus, cum et Oscorum dialectus et lingua Latina, qua Duelliorum et Scipionum res gestas in lapidibus laudatas habemus, decora copia vocalium et diphthongorum florebat vigebatque. Communem vero fuisse his omnibus linguis vidimus indolem et legem, ut graviores pinguioresque vocales procedente tempore levioribus permutarent, ipsas deinde leves ac tenues vocales haud raro elidi paterentur.

Iam igitur pauca restant, quae de consonantibus linguae Volscae monenda videantur. Quo in genere iam supra (p. 15) expositum est, in verbi forma fasia sibilantem consonantem *s* e gutturali *k/c* ortam esse ut in Umbrico sermone haud raro haec consonans subsequentibus vocalibus *i* et *e* primum assibilaretur, velut in verborum formis *çesna*, *aseçeta*, *prosecia*, *Saçe*, *façiu*, deinde plane in sibilum degeneraret, id quod e scriptione vocum desenduf, i. e. duodecim, *pase*, i. e. *pace*, *curnase*, i. e. *cornice* apparuit. Apud Romanos iam inde a temporibus Caesaris et Ciceronis gutturalem tenuem *c* in syllaba *ci-* subsequente vocali addito sibilo pronuntiatam esse, eo potissimum comprobatur, quod haud paucas verborum formas nulla descriminis

ratione observata et per cia-, cie-, cii-, cio-, ciu- et per tia-, tie-, tii-, tio-, tiu- in lapidibus et libris manu scriptis exhibitas invenimus. Quam quidem rem hic leviter tantum modo perstringere in animo est, cum de tota hac provincia singulari ibro scripserim, quem mox e typothetae officina in publicum proditurum esse spero.

Etiam de consonanti liquida *r* e linguali *d* orta, quae ipsa a genuina *t* prodiit, in priore huius libelli parte mentio est facta (p. 10) ita tamen, ut ad hanc quaestionem me redditum esse pollicerer.

Primum igitur has verborum formas in conspectum proponere liceat:

<i>Lat. rec.</i>	<i>Lat. ant.</i>	<i>Umbr.</i>
------------------	------------------	--------------

Skr. ati,

Lat. at, I.N. 6058. ad,

ar, Prisc, I, 45. H.

asam-ar

Verg. Med.

aput, l. Iul. apud,

apor, Fest. p. 26.

mun. I.N. 6034. advenas,

arvenas,

Or. 4859. adventores,

arventores,

advocatos,

arvocatos,

advolare,

arvolare, Prisc. I, 45.

advorsum,

arvorsum, Sc. d. Bacc.

advorsus,

arvorsus, Vel. Long. p. 2232.

advorsarius,

arvorsarius, l. c.

advehant,

arvehant, Cato. R. R. 138, 1.

advectum,

arvectum, l. c. 135, 7.

ad fines,

arfines,

adfari,

arfari, Prisc. I, 45,

adfuisse,

arfuisse, Sc. d. Bacc.

adferia,

arferia, Fest. p. 11.

accesso,

arcesso, Prisc. I, 45.

agger (adger),

arger, l. c.

adbitere,

arbiter,

medicies,

meridies, Varr. L. L. VI, 4. Cic. terust,

Orat. 47. 157. Quint. I, 6, 30.

kaleruf,

Prisc. IV, 34. Vel. Long. p. 2232. kapirus.

7

Apparet igitur primum *t* genuinum in fine praepositionum at, apud eadem ratione emollitum esse in median *d*, ut de exitu imperativorum et ablativeorum supra demonstratum est, deinde lingualem *d* consonantem transiisse in *r* non solum in fine praepositionum Latinarum sed etiam in nominibus et verbis compositis subsequentibus consonantibus *v*, *f*, *b*, *c*, *g*, idemque factum esse, ubi inter duas vocales posita sit, uno certe exemplo verbi Latini *meridies* comprobatur.

Eisdem fere verborum locis etiam apud Umbros litteram *d* aut in sonum quendam illum inter *r* et *s* medium, quem proprium fuisse horum linguae iam supra memoratum est, aut rarius in *r* mutatam videmus et in exitu praepositionis *a* *r* et consonantibus *v*, *f*, *t*, *k* subsequentibus, nec non medium inter duas vocales positam. Ad similitudinem igitur Latini arbiter Umbrici arputati lingua Volsca ad patito abiit in arpatitu. Lingualem vero consonantem *d* non in gutturali sonum litterae *r* sed in lingualem illum transiisse, quem vibrante anteriore parte linguae pronuntiare solemus, e rei ipsius natura perspicitur.

Praeterea debilitatam invenimus duplicem consonantem *x* in *s* gutturali eius parte emollita in forma Volsca medis ut in Oscis meddiss, meddis in Umbricis testru, destru, i. e. dextro (AK. Umbr. Sprd. I, p. 81); idque etiam Latine usu venit, ut non solum e scriptione vocabulorum s̄escent(as) (Mon. Aneyr. tab. I) sescenties (Grut. 408, 1) Sestius (Ekhel. Num. V, 312) praetestati (Grut. 173, 5) perspicitur, sed etiam verborum formis in monumentis extremae imperii Romani aetatis scriptis viset (I. N. 7156, p. Ch. 405, cf. I. N. 1589, 2967, 6667), unsit (Fleetw. Syll. inscr. Mon. Christ. 510, 2) pro vixit, unxit comprobatur. Quin etiam e scriptioribus m̄ilex (Grut. 38, 7) tigris (Grut. 940, 8) xaneto (I. N. 3491) pro miles, tigris, sancto in illius temporis lapidibus exhibitis elucet vulgari sermone tam sonum litterae *x* a *s* non iam diversum fuisse. Unde factum est, ut in lingua recentiorum Italorum pro antiquo *x* linguae Latinae ubique *s* aut *ss* pronuntiatum et scriptum reperiatur. Hanc igitur viam emollienda duplicitis consonantis *x* iam antiquis temporibus sermo Volscorum, Oscorum, Umbrorum, Latinorum, ingredi coepit.

Ea autem re vel maxime ab Umbrorum et Latinorum lingua recentiore Volscorum sermo recessisse videtur, quod consonantem *s* et in fine verborum et medium inter duas vocales positam non in *r* corrumpi passa est (cf. AK. Umbr. Sprd. I, p. 102 sq.) sed integrum servavit in vocalibus vesklis, pis, atahus, esaristrom, asif, Vesune.

Item linguam Volscam minus neglegentem fuisse in servandis consonantibus finalibus quam Umbricam e quibusdam vestigiis colligitur. Etenim quamvis abiecerit imperativorum arpatitu, estu et ablativorum vinu, toticu, covehriu, sepu finalem consonantem *d* ex *t* ortam, nec servaverit notam tertiae personae *t* in verborum formis fasia, atahns, dedca, tamen notam *m* accusativorum dunom, esaristrom, ad quorum similitudinem accedunt nominativi statom, pihom, genetivus Velestrom denique infinitivus ferom, maiore cum cura servavit quam Umbrorum sermo, quem constat pro arbitrio *m* finale aut abieccisse aut servasse (AK. Umbr. Sprd. I, p. 93 sq.). Vulgari autem Romanorum lingua hanc vocalem tam tenui et obscuro sono fuisse, ut non solum in antiquissimis titulis sed etiam in monumentis extremae imperii Romani aetatis modo scriberetur modo omitteretur, cum exemplis quibusdam supra positis, ubi de vocali *o* egimus, demonstratum videtur, tum aliis permultis verborum formis et in lapidibus et in libris manu scriptis quae leguntur comprobari poterit.

Nec vocalem *s*, qua ad stirpes nominum adfixa casus eorum notantur, in Volscorum dialecto abiectam esse, ullum repperi vestigium, cum notum sit, quantum haec ratio et in Umbrica et in Latina lingua vulgari valuerit (cf. AK. Umbr. Sprd. I, 105 sq.). In servandis igitur consonan-

tibus finalibus *m* et *s* proprius accessisse videtur sermo Volscus ad diligentiam linguae Oscae et Latinae, qualis Ciceronis et Caesaris tempore in ore eruditorum hominum ferebatur et litteris mandata est. Sunt autem hae potissimum consonantes finales *s* et *m* summi in historia linguae Latinae momenti, quoniam una cum his abiectis in vulgari extremae aetatis lingua perit declinatio nominum antiqua omni casuum discrimine sensim sublato et confuso. Inde factum est, ut linguae nostrae aetatis, quae prodierunt e vulgari Latina, pronome illo in articuli usum converso et praepositionibus ad et de exhibitis casus discernere atque exprimere coeperint.

Consonantium elisionis duo tantummodo exempla in titulis Volscis reperiuntur. Primum enim semivocalis *v* electa est in coniunctione *s e*, ut et Umbrica eiusdem forma *s v e* et Osca *s v a i*, suae comprobatur. Cum his si quis contulerit Latinas coniunctiones *n i - s e* (*l. Rubr.*), *qua - s e* (*Quint. I, 7, 24.*), *n i - s e i* (*Sc. d. Bacc. l. repet. Serv. q. v.*), *qua - s e i* (*l. repet. cf. quan - s e i l. agr. Thor. q. v.*), *n i - s i* (*t. Genuat.*), *qua - s i*, vix dubitare poterit, ex Osca coniunctionis forma *s v a i* Latinam et Volscam *s e* ita ortam esse, ut semivocalis *v* elideretur quem ad modum in *s a v i u m* pro *s u a v i u m*, diphthongus *a i* vero in *e* contraheretur, quam vocalem Latinae formae *s e i*, si et in medium illum inter *e* et *i* sonum et in ipsam *i* vocalem mutatam exhibent. Deinde consonantem *n* ex *m* ortam iam supra memoravimus elisam esse in Volso composite covehri ut in Latinis coventionid (*Sc. d. Bacc.*) *covenumis* (*I. N. 4139*) et in Umbris *k u v e i t u*, *k u v e r t u*, *c o v e r t u*, *c o v o r t u s t*, *c o v o r t u s o* (*A K. Umbr. Sprd. Gloss.*), unde colligitur liquidam *n* ante *v* positam apud Volscos, Latinos, Umbros tam debili obscueroque sono fuisse, ut in lingua Latina etiam sequentibus *h, j, s* consonantibus eam pronuntiatam esse exceptionibus cohaerere, *coicere*, *coiectura*, *coiux*, *cosol*, *coserva*, *constitutio* aliis permultis cognoscitur, quibus et libri manu scripti et tituli aeri aut lapidibus incisi abundant.

Haec sunt quae de indole ac proprietate sermonis Volsci deque cognationis vinculo, quo cum propinquarum gentium linguis coniuncta fuerit, vocalibus et consonantibus eius quaestioni subiectis in tanta monumentorum penuria indagare potui. Iam vero etiam altera parte huius libelli absoluta, sicuti mihi proposueram, meo iure mihi videor finem facere disserendi, cum praesertim non ea menteat opinio, tamquam multorum delectationi ac voluptati hac tota disputatione optime consuluerim. Scribebam Portae a. d. III. Non. Maias. a. MDCCCLVIII.



9:00 o'clock in the morning for service. I omitted number seventeen which was at twelve and
aristotle is mentioned numerous times in my notes. I am not sure if this is Aristotle's fault, or mine.
Myself student to know who is a classic philosopher mentioned and wrote such a very voluminous
book like Aristotle does not make me feel good but I have written it down and carried
it, for another day. Aristotle is probably more familiar to students than anyone else in our
classroom. He is also mentioned in my notes. I am not sure if this is Aristotle's fault, or mine.
C o r r i g e n d a. I am not sure if this is Aristotle's fault, or mine.

Corrigenda.

p. 4, v. 36. pro signi-cat	leg. signi-ficat.
- 6, - 36. - it ant	- ita ut.
- 7, - 34. - stait staiet	- staít, staéet.
- 8, - 5. - it.	—
- 8, - 6. 10. 24. stait	- staít.
- 12, - 1. - Veliternensi	- Veliterna.
- 13, - 29. - Attieriu	- Atieru.
- 16, - 11. - i	- u.
- 19, - 33. - iortis	- ortis.
- 32, - 28. - f	- t.
- 33, - 16. - Novlanois	- Novlanoís.
- 39, - 28. - u	- ut.
- 41, - 16. - Lucio	- Luciom.
- 30, - 5. 6. - genetivi Ofilliai, Rufai reponendi in p. 29, v. 32.	